


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

[N-A 1229] Leibn. Marg. 223


Leibniz-Marginalien in
Andreas Petermann (= Stück 8)
auf S. 6, 7, 11, 16, 17
Unterstreichungen auf S. 9, 10, 15, 18, 19, 25
ibid.

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [2] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ

adversus

CENSURAM

PETRI DANIELIS HUETII

VINDICATIO,


In qva pleraqve intricatiora Carteſii loca clarè explanantur

Autore

D. Andr. Petermann

LIPSIÆ,
Impenſis JOHANNIS CASPARI MEYERI.
Literis CHRISTIANI BANCKMANNI.
Anno M. DC. XC.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [5] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

Ad

Lectorem benevolum.

PRodiit nuperrimè Petri Danielis Huetii Philoſophiæ Carteſianæ cenſura, ex qva certiſſimum illi exitium brevi futurum nonnulli ſunt vaticinati. Hoc percipiens non potui non flagrare cupidine viſendi hujus tractatûs, & qvidem ideò, qvòd hactenus in Collegiis Phyſiologicis magnâ ex parte qvidem veſtigia Carteſiana legerim, qvædam tamen adhuc in eo deſideraverim. Unde mox pulcherrima me ambibat ſpes, ambigua illa apertæ falſitatis iri convictum. Aſt ſimul ac copia hujus cenſuræ mihi facta eſt, in ea vix, ac ne qvidem vix, qvicqvam deprehendi, qvod non jam olim â Gaſſendo, Henrico Moro, Parcero, Schulero aliisq; in ſcenam Philoſophicam productum, & vel ab ipſo Carteſio, vel le Grand & Baſſecour ſolidiſſimis argumentis ſit repreſſum. Qva de re credidi, cramben juxta diverbium multoties coctam, de novo Philoſophis appoſiturum eſſe eum, qvi Huetianis objectionib9 refellendis operam navaverit. Cùm verò hi, qvorum ſtudia juvantur meis, nihilominus prolixiorem refutationem â me exigere cernerentur, imprimis ideo, qvia Doctrina Carteſiana hinc inde impietatis ſtigmate legatur notata; meas qvales qvales ad objectiones Huetianas reſpon-

ſponſiones hic Tecum, Lector Benevole, communico, hâc lege, ut, ſi qvæ Tibi apparuerint obſcura vel dubia, vel â veritate penitus remota, rurſus ea mecum tali animô, qvali ſunt propinata, conferre ne recuſes. Omnia eum in finem, ut veritas Philoſophica indies magis atqve magis eluceſcat. Placuit verò Methodus Erotematica, qvò Lectori clariùs conſtet de ſtatu controverſiæ. Volupe qvoqve mihi factum eſt perſæpe Autori huic opponere autoritatem Ariſtotelis, qvòd ab ipſo omni honoris encomio ſit mactatus, & ab Anti-Carteſianis etiam in deliciis habeatur. Nec injurioſis altercationibus vacare mentem ſubiit, utut paſſim anſa ſit data, ne viderer injurius in pios manes Philoſophi modeſtiæ laude celeberrimi. Inſuper rogandus mihi es, ut ſtylum adhibitum, qvô in diſcurſibus uti conſvevi, æqvi boniqve conſulas. Negotiola enim mea indies expedienda ſatis temporis concinnioris ſtyli mangonio non conceſſére. Hoc ipſum potius relinqve iis, qvi venuſtis locutionibus, qvàm claris rerum notionibus, philoſophari malunt. Qvæ ſi ab æqvanimitate Tua impetravero, faxo, ut propediem & meas Philoſophiæ Carteſianæ adhuc obſtantes dubitationes reſciſcas. Interim vale ad votum

Tui Studioſiſſimi

D. Andreæ Petermann.

CAPUT

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [10] - 6
PUBLIC DOMAIN

CAPUT PRIMUM.

Expenditur Carteſii ſententia de dubitatione & de hac argumentatione: Ego cogito, ergo ſum.

I. *Q. An Philoſophiæ Carteſianæ fundamentum ſit dubitatio?* II. *Cur in dubitatione Philoſophiæ ſuæ fundamentum poſuerit Carteſius?* III. *An Carteſius dubitandi propoſitum ante deſeruerit, qvàm tenuerit?* IV. *An primam veritatis notitiam in eo ſtatuat: Ego cogito, ergo ſum?* V. *An in eo ponat, ut conceſſum, id, qvod qværitur, dum concludit: Ego cogito, & conſeqventer ſum?* VI. *An Carteſius, ut probet conſeqventiam in his propoſitis: Ego cogito, ergo ſum; opus habeat, ex regulis Dialecticæ comprobandi argumenta depromere?* VII. *An Carteſii ſententia ſit, Deum efficere poſſe, ut contraria & repugnantia enunciata vera ſimul eſſe poſſint?* VIII. *An ex hoc Enunciato: Ego cogito, certò colligi poſſit; Ergo ſum?* IX. *An notio hæc: Ego cogito, Ergo ſum, ſit omnium prima?* X. *An huic notioni: Ego cogito, ergo ſum; aliæ plurimæ, v.g. Qvicqvid agit, eſt, præverti debuerint?* XI. *An Carteſius ſibi contradicat, iis, qvæ lumine naturali nobis nota ſunt, fidem aliqvando tribuens, fidem aliqvando detrahens?* XII. *An enunciatô hôc: Ego cogito; aliud ſignificetur, qvàm qvod vult Carteſius, ac proinde ducta ex eo concluſio, Ergo ſum, nulla ſit?* XIII. *An cogitatio, qvâ nunc cogito, alia ſit, ac cogitatio, de qva cogito, v. g. cogito, me cogitaſſe vulpanſerem?* XIV. *An, cùm qvis cogitat de re aliqva, ſit eadem idea rei hujus, de qva cogitat, ac idea ipſius cogitationis?* XV. *An falſum ſit iſtud: Ego cogito, ergo ſum; nobis cognitum eſſe per ſimplicem viſionem, non per ratiocinationem?* XVI. *An ex hoc dubitandi argumento, qvod à Carteſio propoſitum eſt, neſcire nos, annon ita comparati*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [11] - 7
PUBLIC DOMAIN

ſimus à Deo, vel à malo aliqvo Genio, ut ſemper fallamur, refellatur iſtud: Ego cogito, ergo ſum? XVII. *An verum ſit, Deum nos fallere non poſſe in iis rebus, qvas cognoſcimus per ſimplicem viſionem?* XIIX. *An Carteſius in exorſu Philoſophiæ Academicos & Scepticos aſſectatus, ſtatim erret, ut eos deſerit?* XIX. *An fateatur Carteſius, nullam nos habere veritatis normam, niſi conſtet, nos ita à Deo non eſſe factos, ut ſemper fallamur?*

Ad §. 1.

Qv. I. An Philoſophiæ Carteſianæ fundamentum ſit dubitatio?

§. 1. Anteqvam reſpondeo, neceſſum eſt, ut diſtingvam inter dubitationem veram & fictam. Qvid vera ſit, patet per ſe: Ficta verò eſt ea, qvâ dubitamus de re in ſe nobis ſatis perſpecta, ſaltim ideo, ut alterum affirmantem ad ſolidiorem adigamus probationem.

§. 2. Hâc diſtinctione præmiſsâ, dico, Carteſii dubitationem pertinere ad ſolum poſterius genus, nempe fictæ dubitationis.

§. 3. Id qvod mox cernere licet ex Carteſ. §. 3. *Part. I. Sed hæc interim dubitatio ad ſolam contemplationem veritatis eſt reſtringenda. Nam qvantum ad uſum vitæ, qvia perſæpe rerum agendarum occaſio præteriret, anteqvam nos dubiis noſtris exſolvere poſſemus; non raro qvod tantùm eſt veriſimile cogimur amplecti; vel etiam interdum, etſi e duobus unum altero veriſimilius non appareat, alterutrum tamen eligere.* Item §. 7. *Sic autem rejicientes illa omnia, de qvibus aliqvo modo poſſumus dubitare, ac etiam falſa eſſe fingentes; facile qvidem ſupponimus, nullum eſſe Deum, nullum cœlum, nulla corpora; nosqve etiam ipſos non habere manus, nec pedes, nec denique ullum corpus; non autem ideo nos, qvi talia cogitamus, nihil eſſe.*

§. 4. Deinde hoc approbant etiam exempla à Carteſio in dubium vocitata, v. g. nullum eſſe Deum &c. v. §. 7. jam citatum. Etenim qvis unqvam eò dementiæ abibit, ut ulla credulitate ſibi perſvaderi patiatur, Carteſium Mathematicorum tunc temporis jamjam principem verè dubitaſſe de manuum & pedum ſuorum exiſtentia, vel principiorum Mathematicorum inconcuſſa veritate?

§ 5. Tan-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [12] - 8
PUBLIC DOMAIN

§. 5. Tandem ficta hæc dubitatio luce meridianâ clariùs elucescit ex ipso §. 9. *P. 1. & defin. 1. p. 85. Cogitationis nomine, complector illud omne, qvod sic in nobis est, ut ejus immediate conscii simus. Ita omnes voluntatis, intellectus, imaginationis, & sensuum operationes sunt cogitationes.* Hîc τὸ sentire constituit speciem cogitationis. Jam verò eô ipsô, dum de manuum & pedum suorum existentiâ, qvam sensit, dubitavit, eos cogitavit, & consequenter adeo veros, qvam qvos verissimos agnovit.

§. 6. Neqve hoc dubitare vitio est vertendum Philosopho nostro: Siqvidem eô ipsô imitatus est Antagonistarum suorum Coryphæum Aristotelem *lib. 1. c. 2. Metaph. A principio qvidem admirando ea, qvæ de dubitandis faciliora erant: Deinde paulatim ulterio procedentes, etiam de majoribus dubitando, ut de passionibus Lunæ & eorum, qvæ circa solem & stellas fiunt, ac de generatione universi. Qvi verò dubitat, & admiratur, putat se ignorare: qvare Philosophus, amator fabularum qvodammodo est, eo qvod fabula ex mirandis constat.* Confer totum *Lib. III. Metaph.* qvippe qvem totum per dubitationes Aristotelicas resolvit *Ernest. Sonerus in Comment. Lib. Metaph.* Apprimè verò hic ex laudato Sonero locum inveniunt Hecatombe digna verba: *Dubitationes enim de principiis desinunt tandem in primum principium omnium. p. 189.* Et nonne Arist. *librum 4. Phys.* exorsus est, *dubitando de loco & inde oriundo motu.* Ex qvo tamen postmodum derivavit omnem suam Physicam naturam definiens principium motus atqve qvietis. Plures veteres eosqve summos Philosophos vide allegatos apud le Grand *in Apologia Cap. 3.* Ex recentioribus verò præter Sonerum huc referri meretur Belgii decus litterarium Vossius §. *12. Cap. 20. Tr. de Sect. Philos. Dubitare*, inqviens, *est utile etiam de suis.*

§. 7. Imo qvid, qvæso, solennius est Academiis nostris tali fictâ dubitatione? Nam exercitia Disputatoria tàm publica qvàm privata ex hoc fonte promanant. Dum nimirum in omnibus Facultatibus eliguntur Themata etiam ad nauseam usqve demonstrata cognitaqve, v. g. de Deo. Vid. Hülsem. *Breviar. Theol.* in qvo extat disputatio de Deo habita à Præside hoc incomparabili, & Respondente Frankenstein, Celeberrimo Lipsiensium Philosopho, de Demonstrationibus Mathematicis &c. Nonne hic Opponentes semper tenentur per fictionem qvandam non solùm de thesium veritate dubitare, verùm

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [13] - 9
PUBLIC DOMAIN

rùm & prorſus ambigere. Itaqve Anti-Carteſiani Carteſium taxantes proceres ſuos ipſosmet damnant.

§. 8. Hæc tamen dubitatio non eſt extenſa penitus ad univerſas res; ſed duntaxat ad eas omnes, in qvibus vel minimam incertitudinis ſuſpicionem reperiemus. *vid.* §. *1. Part. 1.* Qvare omnino hic eximuntur immediate à mente noſtrâ percepta & cogitata, vid. §. *9. Part. 1.* Hinc minus verum perhibuiſſe teſtimonium judicandus eſt D. Huetius in §. ſuis IV. & V. Cap. I.

§. 9. Ultimò hæc dubitatio non obtinet nomen fundamenti Philoſophiæ Carteſianæ ita, ut finis ejus ſit dubitatio; ſed qvòd adhibeatur in Methodo veritatis Philoſophicæ venandæ. vid. §. *1. Part. 1.*

ad §. 2.

Qv. II. Cur in dubitatione Philoſophiæ ſuæ fundamentum poſuerit Carteſius?

§. 1. Rationes, ob qvas hanc dubitationem in locum fundamenti aſciverit Carteſius, ſunt in propatulo eæqve non unæ. Nam dubitavit (1) ut ſeſe redderet immunem à præconceptis opinionibus; utpote qvarum vis tanta eſt, ut nobis perſvadeat ea, qvæ poſt agnitam veritatem ſæpiuscule nos rubore perfundunt. Manifeſtum in exemplum abit motus chyli ex inteſtinis per venas meſaraicas firmiſſimè ab Anatomicis ante Aſellium (qvidqvid etiam in contrarium ſentiat Joh. Nardius *in noct. Genial. IV. p. 272.)* creditus. Ipſe olim omnino arbitrabar, aurum penitus depurari ab aliis metallis ſuper cupellâ in furno probatorio. Qvia rem ita eram edoctus: Aſt qvondam tale aurum diſſolvens eventum experiebar falſiſimum, qvo viſo, mox apertiſſimas erroris mei agnovi cauſas non ſine indignatione atqve pudore. Hujus farinæ exempla plura, tantum non infinita ferme, huc accerſere eſt in facili.

§. 2. Seqvutus autem eſt noſter Philoſophus rurſus veſtigia Ariſtotelis in toto III. Libr. Metaph. Textibus primis *Lib. IV. Phyſ.* & paſſim; qvi dubitavit de veterum Philoſophorum ſententiis, ut veram inveniret. vid. Soner. c. l.

§. 3. (2) Qvia ſenſus noſtri ſolo corpore exerciti nobis ſæpenumero imponere conſveverunt. vid. *§. 3. & 9. Part. 1.* Qvas fallacias

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [14] - 10
PUBLIC DOMAIN

cias ſenſuum qvotidiana approbat experientia. Etenim ſilentii peplo involvens, qvæ hinc inde ab autoribus Carteſianis v. g. Bontekoe *in Metaph.* Baſſecour *in Defenſione Carteſ.* le Grand paſſim urgentur, & â Philoſophis Pyrrhonicis jamjam ſunt monita, impræſentiarum adduco experimenta Anatomicorum inſtituta in deguſtando ſucco pancreatico, ubi nimirum decem præſentium deguſtantium ſinguli ferme ſingularem ſaporis ſpeciem voluerunt petceptam. Et qvid, qvæſo, luculentiùs eſt hoc phænomeno: In arce Electorali Saxonicâ Lichtenburgenſi depicta eſt figura (ſimilia artificia vid. *in Taumaturgo Optico* Niceron.) qvæ in uno certo radio omnibus apparet intuentibus exactè rotunda, in reliqva autem peripheriâ ſtantibus videtur ovalis. Hic profectò neceſſario viſus me ſemel fallit, ſi per eum ſolum figuræ nativam faciem inqviro. Porro qvem fugit maxima diſcrepantia magnitudinum atqve colorum rerum naturalium nunc absqve, nunc mediantibus microſcopiis aſpectarum: Imò notæ ſunt artificioſæ picturæ, qvæ absqve vitro videntur diverſas res, easqve demonſttatu honeſtas, repræſentare, per vitrum verò intuenti ſiſtunt pudenda muliebria vel alia.

§. 4. Hoc in negotio calculos ſuos Carteſio adjicere non ſunt veriti Weigel. *in Anal. Ariſtot. §. 3. cap. 10.* Michael Piccart. *Diſp. 6. §. 32. &c.* Sennert. *p. 564. Inſtit. Phyſ.* Rob. Boyle *Tr. de infido experim. ſucceſſu.*

§. 5. Cavendum vero eſt, ne cognitionem per ſenſus corporis factam confundamus cum cognitione, qvæ abſolvitur ab ipsâ mente res per ſenſus corporis perceptas agnoſcente & dijudicante.

§. 6. Nam ſenſus noſtros ab ipſa ſic dirigi mente, jam olim inculcaſſe Ariſtot. *L. 3. de anim. & L. 3. de generat. animal.* legitur, cui ſubſcribit B. Jacob. Thomaſ. *qv. 50. Cap. 49. Phyſ. intellectum ſtricte acceptum* definiens *animæ rationalis potentiam neceſſariam, ſenſui proportione ſimilem, ſecundum qvam videlicet illa res ſenſui obvias* CLARIUS, *atqve factum eſt â ſenſu, cognoſcere & ſenſui non obvias qvoqve attingere poteſt.* Ex qvo ſponte promanat Diſtinctio inter ſenſum, qvi corpore peragitur, & eum, qvi â mente cogitante demum petficitur. Hæc ipſa Diſtinctio â Carteſ. §. 9. *P. I.* tradita roboratur autoritate Philoſophorum. Cum ipſe Ariſtot. *Lib. 3. de animâ Text. 140. Cap. 2.* diſertis aſſerat verbis: *Duplex eſt auditus & duplex etiam ſonus. Ea-*

dem est & in cæteris sensibus ratio, atque ut actio passioque non in agente est, sed in eo, quod patitur; sic & sensibilis actio in ipso est sensitivo it. *Text. 143. sed sensus ratio est*, nec non *Text. 146. quo & manifestum est, quòd caro non est ultimũ sensorium, necesse enim esset discernens, discernere tangendo ipsum.* Maximopere demum *Prob. 33. Sect. XI. sensus autem, ubi sejunctus ab intelligentia est, laborem velut insensibilem habet: Unde dictum: Mens videt, mens audit.* Porro Weigel. *in Anal. Aristot. p. 110. §. 3.* hujus verba sunt: *Unde ratio, licèt ipsa principaliter rei perceptæ certitudinem non attingat, perceptionem tamen dirigit, ne falsum pro vero, dubium pro certo assumatur.* Nil minus Piccartus *in Disp. 6. pag. 119. §. 32.* inqviens; *Fallit tamen sæpe sensus: Itaqve accipienda puto loco illa* (Aristotelica) *de sensu conferruminato cum ratione, qvod haurio ex Libr. 3. de Anim. ubi ait, res una mensurari, ratione videlicet cum sensu congruente, qvatenus ex his duobus fit unum.*

§. 7. Ad hanc sensus speciem pertinent deinceps omnia, qvæ qvocunqve modo per sensoria externa tanqvam per januas irruunt in ipsam nostram mentem, ut eorum evadamus conscii. Eo ipso enim fiunt species cogitationum.

§. 8. Et hic sensus est ipsissimum ac genuinum lumen naturæ, qvod Cartes. §. *1. P. 1.* voluit exceptum è censu rerum dubitationi obnoxiarum. Ut proinde rursus D. Huetius §. *6. Cap. 1.* affirmans, Cartesium lumini naturali omnem omnino fidem detrahere jussisse, minus bene allegati loci convincatur.

§ 9. (3) Non perperam moveri qvoqve dubia circa demonstrationes & principia Mathematica, svadet dissensus primiceriorum Mathematicorum in his ipsis principiis. Sic Christ. Clavius supra laudato Vossio omne eruditionis punctum ferre visus *Prop. VIII. Lib. I. Elem. Eucl.* cooptavit in numerum Axiomatum & hoc: *Qvæ mutuo sibi congruunt, ea inter se sunt æqvalia, & e contrario: qvæ inter se sunt æqvalia, ea sibi mutuo congruunt.* Clavio adstipulatur Philosophorum Germanorum gloria incomparabilis Sturmius *pag. 60. Mathes. enucleatæ.* Utriqve tamen qvoad posterius è diametro sese opponit acutissimus Tacqvet. *vid. pag. 11. Elem. Geometr.*

§. 10. Ulterius Heinlinus, non ignobilis Mathematicus Germanus, inter Postulata Geometrica admittit & hoc: *Qvâcunqve magnitudine datâ sumi aliam magnitudinem vel majorem vel minorem posse.*

Jam

Jam vero si juxta Autoris Definitionem qvartam Geometricam assumimus punctum partem habens nullam, hincqve indivisibile existens, & huic annectimus adhuc unum punctum; Nonne inde exsurgit qvantitas continua vel magnitudo? Qvis autem hâc demonstraturus est minorem?

§. 11. Ceterùm commemoratur inter Propositiones Euclid. Libr. 1. Propos. 10. *datam rectam finitam bifariam secare.* Hujus Problematis solutio inibi data etiam extat. Utrùm vero hoc ipsum ullo modo resolutu sit possibile, ambiguum redditur ab Axiomate *14. Elem. Geom. Lib. I. Tacqvet. pag. m. 14.* ad oculum demonstrantis, magnitudines ex punctis omninò indivisibilibus numero finitis componi non posse. Nam linea ex 9. atomis composita & dividenda qvintam atomum ceu mediam fovet ex naturâ sectioni ineptam natam.

§. 12. Porro ab omnibus Philosophis Mathematicis inter principia communia, eaqve æternæ veritatis relata observantur hæc duo: *Omnes partes simul sumptæ sunt æqvales suo toti, & ab æqvalibus si abstuleris æqvalia, qvæ remanent, erunt æqvalia.* Ex hisce duobus Axiomatibus Arithmetici Additionis probationem derivare gestiunt. Etenim cifræ A Fig. 1. supra lineolam consignatæ & addendæ sustinent vices partium; infra lineolam verò additæ stant loco totius. Igitur, computo juste instituto, necessario æqvalia remanent in superioribus A & inferioribus B, æqvalibus v. g. 9. ablatis.

Fig. 1.
A. 346 | 532 | 5
B. 878 | 5

§. 13. Qva occasione notetur, non præcisè reqviri abjectionem numeri novenarii, si cifræ superiores Fig. 2. C. sibi invicem additæ non attingunt 10. Nam in tali casu qvælibet abjici possunt cifræ, qvibus abjectis, æqvalia sunt remansura. Addendis vero numerum denarium attingentibus superantibusve, solius numeri novenarii abjectio locum invenit. Ratio hujus rei dispalescit suapte. Nam qvoties numeri infra lineolam D cifrarum monumentis sunt exprimendi, toties â 10, 9. abjiciuntur, solæqve unitates consignantur. His non obstantibus, tamen remanebunt æqvalia in his exemplis, qvotiescunqve 9. fuerint omissæ, etiamsi tunc ab inæqvalib9 abstuleris æqvalia nempe 9. vid. E (Hæc adduco ut occasiones dubitandi, nam inde non infringuntur Axiomata, prout peritus Arithmeticus facile deprehendet.)

Fig. 2.
C. 346 | 532 | 2
878 | 2

Fig. 3.
367
894
D. 1261

Fig. 4.
E. 3459 | 3129 | 0
6597 | 0

§. 14. Contra Axioma *qvæ eidem sunt æqvalia, inter se sunt æqvalia*, aliqvoties disputantibus objeci hanc instantiam: in Δlo rect-

ctangulo iſoſceleto ſunto crura trium partium; alterutrum horum dividatur in dimidias, qvo facto, ſex exſurgent dimidiæ. Dico has ſex dimidias eſſe æqvales tribus alterius totis. Igitur tres integræ ductæ in ſe invicem novemqve producentes exhibebunt □ æqvale alterius lateris ſex partibus per ſe multiplicatis demumqve per duas diviſis juxta Axioma: *Qvæ ejusdem ſunt duplicia, inter ſe ſunt æqvalia,* & vice versâ. Nihilominus tamen manifeſto manifeſtiùs eſt, □ ſex partium futurum eſſe 36. partium, qvæ per 2. diviſa producunt 18, qvas tamen decuiſſet vi Axiomatum ſaltim 9. efficere. Qvam inſtantiam (facile tamen reſolubilem) diſputantes reſolvere neſcivere.

§. 15. Qvin imo nec principia Mathematica Domino Huetio credita eſſe veritatis irrefragabilis, inde præſumo, qvòd in demonſtratione Evangelicâ ipſis antepoſuerit principiorum moralium variis exceptionibus ſubjectorum veritatem.

§. 16. (IV.) De DEO nonnullos hominum dubitaſſe præter atheos allegatos olim à Philippo Morneo *cap. 1. Tr. de veritate religion. Chriſt.* & nuperius à Joh. Mullero *Tr. Atheiſm. triumphat.* ſatis confirmant Sociniani aſſerentes, daß ein GOtt ſey / glauben die Leute von hören ſagen / vid. *Syſtem. Theolog. Qvenſt.*

§. 17. Homines qvosdam à Cacodæmone eſſe progenitos & qvidem malos, olim fuit dogma Pythagoreorum & Manichæorum. Noſtrâ vero memoriâ eadem perpetratur blaſphemia apud Indos à Brachmanibus, teſte Kirchero *in Chinâ cap. V. Part. III.* Et utut inter gentes moratiores nulla facile exiſtat tam barbara, qvin credat, dari numen; attamen decet Philoſophum, apprime Chriſtianum, prævidere talium barbarorum objectiones, qvo præmuniatur maturè ad easdem refellendas. Hinc nunqvam poterit eſſe turpe Carteſio *in §. 5. Part. 1.* & uberiùs *in Meditat. primâ* per fictam dubitationem indicaſſe occaſiones vel dubitandi vel ambigendi de DEO, huncqve ut malum Genium concipiendi: Siqvidem hæc omnia unicè atqve ſolùm meditatus eſt ideo, qvo ejus ſeqvaces evaderent promptiores ad redarguendas has impietatis ſpecies. Abſit tamen, ut ſub ulla veritatis ſententia idem nos ſtatuamus aut finganus. Saltim ſic prævisa blaſphemantium tela minùs tibi nocebunt. Qvi enim impiam Judæi ſententiam poteris ſolidè refellere, niſi cùm ipſius, tum Majorum in Salvatorem blaſphema vox: *Ipſum eſſe Fabrum & Fabri filium Matth. XIII, 55. Marc.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [18] - 14
PUBLIC DOMAIN

Marc. VI, 2. 3. tibi fuerit perſpecta? Sic fruſtra pugnabis contra Brachmanes, Pythagoræos & Manichæos ipſorum ignorans Principium. Et qvâ ratione afflicto Hiobo *de DEO in crudelem ſibi converſo Cap. XXX, 21. lamentanti* ſolatiô fortiùs poteris ſuccurrere, qvàm ſi ipſius de Bonitate DEI dubium & ipſe antea perſpexeris?

§. 18. Nec multum aberrabit à vero, qvi Salvatorem ipſum & Apoſtolos ſtatuerit autores dubitationum in multis ad ſalutem æternam agnoſcendam ſpectantibus. Etenim dum jubemur nobis cavere à Pſeudoprophetis, hosqve à fructibus dignoſcere *Matth. VII, 16.* dum jubemur Spiritus evangelizantes probare *1. Joh. IV, 19.* item *1. Theſſ. V, 21.* omnia probare, ſola verò bona tenere; imo tandem *1. Cor. XIII, 5.* noſmet ipſos tentare, & probare, num ſimus in fide; nihil omnino aliud, qvam dubitatio de Paſtoribus; de fide noſtra inſinuatur. Præiverunt qvoqve nos in hoc negotio Beroenſes *Act. XVII, 11.* qvotidie dijudicantes ſcripturas, num ita ſe habeant, qvorum tamen ſtudium ab ipſo Spiritu S. laude ducebatur digniſſimum. Et qvid, qvæſo, uſu veniet pagano convertendo in civitate, qvæ fovet Chriſtianos diverſarum religionum. Hic omnino opus habet, ut de ſingulis dubitet tamdiu, donec maximè probabilem inveniat atqve amplexetur.

§. 19. Totam hanc noſtram reſponſionem aſſenſu ſuo illuſtrat B. Jac. Thomaſ. *in Præfat. XXXII. de Thoma incredulo, & cautione credendi philoſophica.* Ex qva nunc placet ſola hæc tranſcribere verba: *In Scriptura ſacra vetamur credere omnibus Spiritibus, ac jubemur potius probare omnia, qvod bonum eſt, tenere. Hæc ſi vera ſunt in rebus theologicis, qvid Philoſophos facere convenit, qvi notitias ſuas non revelationibus, ubi fide opus eſt, ſed lumini naturæ debent, qvod aperire jubet tùm dextrum oculum rationem, tùm ſiniſtrum ſenſus?*

Q. III. An Carteſius dubitandi propoſitum ante deſeruerit, qvàm tenuerit? Ad §. 3.

§. 1. Fruſtra hîc in §. 3. Carteſius à Domino Autore inſimulatur inconſtantiæ, dum ea, de qvibus juſſit dubitare, poſtmodum vult planè negata: Siqvidem & hæc negatio eſt ſaltim ficta, prout in reſponſione ad qvæſt. præcedentem 1. ſatis eſt ex ſcriptis ejus deductum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [19] - 15
PUBLIC DOMAIN

Nam qvò magis dubitat, vel penitus etiam negat, eò etiam promptiorem ſuggerit occaſionem demonſtrandi theſin affirmantibus. Sicuti id ipſum facere etiam adamant in Academiis diſputantes. Qvò enim magis Opponens dubitat de veritate theſeos, vel qvò magis eam negat, eò etiam magis Reſpondens excitatur ad theſin probandam. Conſentit hoc in paſſu Arift. *qvi dubitat & admiratur, putat ſe ignorare, v. Cap. 2. l. 1. Metaph.* Ignorare verò hic æqvipollere τῷ negare, liqvet ex hoc exemplo: Qværo ex barbaro, utrum exiſtat DEUS? Hic ſive reſponderit ignoro, ſive nego, hoc in paſſu utrumqve erit perinde, ſiqvidem qvæſtio eſt de notitiâ Dei.

§. 2. Dicis, non opus eſſe plenariâ dubitatione in multis allegatorum indagandis, cùm ſufficiat ſolum inſtitutum examen, qvo extricare nos valebimus. Enim verò qvotusqvisqve ſapientum repertus eſt, qvi ad examen revocaverit res adeo veras, ut earum veritas per ſimplicem viſionem ſit perceptibilis? Nam, juxta Horat. *l. 2. Sat. 2.*

- - - Malè verum examinat omnis
Corruptus judex.

Qvare etiam omne examen verſatur circa rem, ex qva vel minima ſuſpicio ambiguitatis nobis ingenerari poteſt. Ut proinde rurſus dubitatio Carteſiana omni angulo qvadret in talem examinis ſpeciem, qva voce utitur §. *penultim. Part. 1.*

Ad §. 4.

Q. IV. An primam veritatis notitiam in eo ſtatuat, Ego cogito, Ergo ſum?

§. 1. Affirmatio hujus theſeos patet ex ipſius autoris §. 7. & paſſim, in ſpecie vero vid. *Reſponſio 2. ad Petr. Gaſſend.*

Ad §. 5.

Q. V. An in eo ponat ut conceſſum id, qvod qværitur, dum concludit, Ego cogito, & conſeqventer ſum?

§. 1. Miror atqve demiror Dominum Autorem fuiſſe immemorem propoſitionum neceſſariarum ex hypotheſi. Qvas omnes Philoſophi Ariſtotelici agnoſcunt. Eſto nobis hic inſtar omnium doctrinæ Ariſtotelicæ conſultiſſimus B. Jacob. Thomaſius *in Metaph. p. 309.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [20] - 16
PUBLIC DOMAIN

p. 309. ita concludens: *Petrum progredi in se qvidem est contingens. Posito tamen, qvod ipse currat, necessarium qvoq; est, ipsum progredi.* Qvin imò ex hac necessitate fluit etiam canon Arist. *lib. de Interpr. c. 9. Omne, qvod est, qvando est, necesse est esse, & omne, qvod non est, qvando non est, necesse est non esse.* Hinc optimus progignitur Syllogismus:

Q. Cogitat, ille necessario cogitat.
A. Cartesius cogitat,
E. Cartesius necessario cogitat.

item:

Qvandocunqve sol lucet, necessario lucet.
A. Sol in meridie lucet.
E. Sol in meridie necessario lucet.

Idem qvoqve patet ex forma Syllogismi disjunctivi:

Aut sol lucet, aut non lucet,
A. Sol lucet
E. Sol non non lucet, i. e. lucet.

§. 2. Animus si est, rem redigere in qvæstionem, qvæstio oritur, utrùm sol luceat nec ne? Eô ipsô dum affirmativam tueor, negativam tacitè removeo. Qvare non omne ponitur, qvod erat in qvæstione, sed alterum solum qvæstionis membrum. Idem esto judicium de propositione Cartesii in qvæstionem transformatâ.

§. 3. Hæc Propositio â Cartesio nunqvam est allata ut Propositio Minor hujus Syllogismi: *Qvicunqve cogitat, ille est &c.* Sed proponitur tanqvam nuda Propositio vel Enunciatio, nullô habitô respectu ad formam Syllogisticam vel perfectam vel imperfectam.

§. 4. Ais, hic adesse duas distinctas Propositiones: *Ego cogito*, & *Ego sum*, inter qvas nulla potest subnasci vis concludendi absqve majoris jam constructæ virtute concludendi. Verumenimverò & hoc nego.

§. 5. In qvâ negatione contrariâqve affirmatione vertitur cardo totius controversiæ inter Gassendum & Cartesium strenuè reciprocatæ. Qvamobrem consultum duco justâ mentis statera ab ovo ponderare principia cognoscendi in homine, an nimirum hæc Propositio Major: *Qvicunqve cogitat, ille necessario cogitat & est*, tanqvam universalis sit priùs vera, qvàm hæc singularis: *Cartesius cogitat & est.*

§. 6. Proinde constat inter omnes Philosophos, naturam universalium consistere in eô, ut instar totius conflentur ex inductione singu-

ſingularium tanqvam partium. Qvare & veritas ſingularium ſemper præreqviritur qvam veritas univerſalium. Vid. hâc de re Ariſt. *cap. 1. & 5. Categor. cap. 1. Lib. 1. Metaph.* Scherb. *in Theſ. Philoſ. de Univerſ.* §. *33.* & Piccart.

§. 7. Qvi laudati Philoſophi inſuper unanimes aſſerunt & hoc principium primum atqve communiſſimum: *Idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe*, æqve componi ex inductione Enunciationum ſingularium, vid. præterea Dreierus in *Diſſert. Metaphyſ. 5.* §. *8.* inqviens *prima principia inductione nobis fieri manifeſta*, nec non Reckleben in *comment. ad cap. ult. poſterior. Analyt.* Nam ſicuti hi omnes concedunt, probari hoc principium non per principium aliud complexum prius; ita unanimes ſtatuunt, illud probari ex inductione ſingularium. Qvo in negotio iterum reperimus conſentientem Ariſtotelem prorumpentem *ult. poſt Anal.* in hæc verba: *Oritur ex ſenſibus memoria, tum ex memoria aliqvoties repetita naſcitur experientia; Nihil enim aliud eſt experientia una, qvàm multæ memoriæ. Poſtremo ex experientiâ, qvæ tum eſt infixa animo de toto genere pronunciato, aut uniuscujusdam rei notio, qvæ fit ipſa qvidem præter res ſingulas, ſed in illis tamen omnibus una eademqve manens conſiſtat. Ex ipſa inqvam experientiâ proficiſcuntur omnis artis ac ſcientiæ principia.*

§. 8. Et poſito, hoc principium nobis omnibus connaſci. Cui licuerit eſſe adeò felici, ut ad hoc principium tanqvam Propoſitionem Majorem Syllogiſmi inveniat Minorem aliunde, qvàm per primam mox perceptionem probandam? Sic v. g. ſi argumentor *idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe. Atqvi Solem lucere, eſt, E. neceſſario lucet.* Profecto hæc minor in omnes æternitates non aliunde, qvam ex immediata perceptione veritati reddetur conformis. Major vero ſi fuerit absqve aliqva minori nullius plane erit uſus, vid. *Carteſ. Epiſt. penult. Part. I.* habeo exempla

Ad §. 6.

Q. VI. An Carteſius ut probet conſeqventiam in his Propoſitionibus: Ego cogito, Ergo ſum, opus habeat ex regulis Dialecticæ com probandi argumenta depromere?

§. 1. Hæc qvæſtio negatur atqve pernegatur. Qvia nimirum, uti ex præmiſſis conſtat, non eſt Propoſitio cujusdam Syllogiſmi;

simi; Sed nuda percepta Enunciatio Singularis. Qvalis est & hæc *Petrus est bipes E. potest ambulare.* Qvæ Enunciationes nituntur æternâ atqve infallibili veritate sensuali posterioris generis.

§. 2. Non enim credendum est, mentem cogitantem proprias operationes, vel objecta externa per sensoria corporis admittentem nudos percipere terminos, qvibus adhuc nulla inesse vel affirmatio vel negatio intelligatur; Sed longè potiùs in plurimis qvâdam potiri vel affirmatione vel negatione, qvamvis proprium assensum nondum addat. v. g. percipiens hominem præeuntem mens non agnoscit nudum terminum, homo; sed integram Propositionem affirmativam, hominem, qvi præit. Id ipsum maximopere advertimus in auditu haurientes integras historias, tantum non in omnibus sensoriis, v. g. gustantes pomum dulce, odore percipientes rosam moscho infectam &c.

§. 3. Nec ulteriùs putandum est, nullas dari tales singulares Propositiones, qvarum qvædam sibi invicem indissolubili nexu non sint copulatæ v. g. *Petrus est bipes E. ambulare valet.* Unde namqve eruces veritatem Propositionis hujus universalis: *Qvicunq; homo est bipes, ille potest ambulare?* Nunqvam aliunde qvam ex inductione singularium. Et his rebus fit, ut ipsæ regulæ Dialecticæ collectæ sint censendæ itidem ex laudata inductione singularium. Hinc nihil unqvam probant nisi per regressum, qvatenus nimirum priùs per inductionem singularium verarum sunt fabrefactæ. Unde, qvotiescunqve universalis infringitur per novam supervenientem singularem; toties etiam universalis nihil concludit. Sic v. g. olim Major Propositio *omnes homines ventriculum gestant in abdomine*, fuit universalis tam diu, donec ventriculum reperit in thorace Thom. Barth, qvo invento, Major est infracta.

Qv. VII. An Cartesii sententia sit, Deum efficere posse, ut contraria & repugnantia enunciata vera simul esse possint? Ad §. 6.

§. 1. Affirmativam hujus qvæstionis non sine præcipitantiâ D. Autor Cartesio audet affingere ex §. 5. verbis: *Qvia audivimus, esse Deum, qvi potest omnia, & â qvo sumus creati. Ignoramus enim, an forte nos tales creare voluerit, ut semper, etiam in iis, qvæ nobis qvàm notissima*

tissima apparent; qvia non minus hoc videtur fieri potuisse, qvam ut interdum fallamur. Enim vero hanc nunqvam fuisse sententiam Cartesii, qvilibet sincerô animô verba ejus perpendens agnoscit inde qvòd hanc objectionem proponat tanqvam per solos corporis sensus conceptam. Qvare utitur etiam verbo *audivimus*. Nam si asseruisset, hanc sententiam per sensus cum mente nostra conjunctos posse percipi, mox seqventem Thesin non connexuisset priori, in qva tam firmissime proponit, nunqvam mentem nostram id admittere, qvod aliqvam in sese fovet repugnantiam. Similia innumera loca occurrunt tam in scriptis Philosophicis, qvam Epistolis, nec contrarius adducetur ullus. Hoc ipsum qvilibet justâ mente ponderans nunc uno halitu difflabit inseqventes D. autoris §os Cartesio oppositos.

Ad eundem §. **Qv. VIII. An ex hoc enunciato: Ego cogito, certò colligi possit istud E. sum?**

§. 1. Nemo juxta præmissa amplius dubitabit. Qvia cogitare est ipsissimus effectus existentiæ. Id qvod rursus liqvet non ex Majori aliqvâ Propositione; sed singulari perceptione vid. §. 2. *Qv. VI.*

§. 2. Qvid verò sit existentia, qvidve actus, illud â Cartesio hic præsupponitur ut aliqvod cognoscibile ex Lexico qvodam Philosophico juxta §. 10. *Part. I.* Nunqvam enim τὸ *Ego cogito E. sum* ratus est primos notos Terminos Philosophicos; sed primam Enunciationem omni exceptione majorem.

§. 3. Ex qvo condocefimus, Methodum Cartesianam non esse præscriptam pueris; verùm adultioribus studiosis, Terminorum Philosophicorum jamjam gnaris. Qvemadmodum & Organon Aristotelicum nulli capient pueri scholastici.

Ad §. 7. **Qv. IX. An notio hæc: Ego cogito, E. sum, sit omnium prima?**

§. 1. Affirmatur qvatenus est perfecta Enunciatio: Siqvidem â mente nostrâ percipitur absqve ministerio sensuum corporeorum, fallaciis assvetorum. Et hæc immediata mentis adversio est in causa, ob qvam hæc notio præferatur hisce: *Omnes partes simul sumptæ sunt æqvales suo toti, in omni Δ omnes tres anguli sunt æqvales duobus rectis.*

Ego cogito, ergo sum prima veritatis fach

Hæ

Hæ namqve nunqvam ſine ope ſenſuum externorum capiuntur. Hinc mens advertit omnium primò ſemetipſam, teſte Ariſtot. juxta verba *Cap. IV. de Anima T. 8. Lib. III. Intellectus ipſe ſe ipſum tum poteſt intelligere.* vid. Toletus in hunc locum.

§. 2. Ex his ulterius innoteſcit, mentem noſtram cogitando ſeſe intelligere & advertere etiam res falſas vel dubias cogitantem.

Qv. X. An huic notioni: Ego cogito E. ſum, aliæ plurimæ v. g. qvidqvid agit, eſt, præverti debuerint? Ad eundem §.

§. 1. Qvod opus ſit præcedaneâ cognitione Terminorum, probatur & conceditur ex §. *10. P. 1.* Carteſii. Integræ autem Enunciationes negantur.

§. 2. Qvod attinet Propoſitionem: *Qvidqvid agit, eſt;* Hæc eſt univerſalis, indigetqve probationis ex inductione ſingularium deſumptæ. Porro τὸ *Actio* itidem eſt Terminus generalis, diciturqve tam de mente, qvam corpore, cujus actiones cum non poſſint percipi, niſi miniſterio ſenſuum, mentis operationibus immediatè innoteſcentibus, meritò τὸ cogitare priùs actione eſt æſtimandum.

Qv. XI. An Carteſius ſibi contradicat iis, qvæ lumine naturali nobis nota ſunt, fidem aliqvando tribnens, fidem aliqvando detrahens? Ad §. 8.

§. 1. Qvia poſterius in Qvæſt. falsò Carteſio eſt imputatum juxta probata in Qv. 7. ſuapte corruit totius qvæſtionis affirmatio.

Qv. XII. An enunciato hoc, Ego cogito, aliud ſignificetur, qvàm qvod vult Carteſius, ac proinde ducta ex eo concluſio E. ſum nulla ſit? Ad §. 9.

§. 1. Qvid per vocem cogitationum intelligat Carteſ. vid. §. *9. Part. I. & Artic. XVII. XVIII. XIX. &c. de Paſſion. Part. 1.* nec non *Definit. 1. pag. 85.* Ubi locorum expreſſis aſſerit verbis, *& qvamvis reſpectu noſtræ animæ ſit actio aliqvid velle, poteſt etiam dici in illâ eſſe paſſionem percipere qvid velit.* Qvo in paſſu licet reperire Carteſio

conſonum B. Thomaſium *q. 102. de Facult. Anim. pag. 293.* hiſce verbis utentem: *Qvâ ratione ſit, ut eadem anima duplicis principii vicem ſubeat, agentis qvidem phantaſmata illuminando; & ex iis ſpecies intelligibiles eliciendo. A priori agens, â poſteriori patiens vocatur intellectus.*

§. 2. Hinc etſi in omni cogitatione reqvirantur tria, nimirum (1) mens cogitans, (2) res menti cogitanti objecta, & (3) mentis cogitantis actio in rem objectam; attamen inde non ſeqvitur, aliud hic ſignificari, qvàm qvod vult Carteſius; qvippe cujus mens eſt, hanc Enunciationem *Ego cogito, E. ſum* eſſe primò veram & infallibilem, nec obſtare hic tria reqviſita Huetiana. Dum ſingula adeſſe animadvertuntur. (1) nempe mens cogitans, (2) res menti cogitanti objecta, qvæcunqve illa extiterit, qvâqve nunqvam anima noſtra carebit juxta dicterium Ariſtotelicum: *Mens ſemper aliqvid cogitat.* Et utut res cogitata ſit falſa; attamen eo ipſo, qvo cogitatur, actus cogitandi advertitur. Qvapropter & Carteſius colligit ipſas dubitationes eſſe cogitationes mentem cogitantem prodentes & indicantes. (3) nec deficit ipſe cogitandi actus.

Ad §. 9. **Qv. XIII. An cogitatio, qva nunc cogito, alia ſit, ac cogitatio, de qva cogito? v. g. cogito, me cogitaſſe vulpanſerem.**

§. 1. Reſponſurus diſtingvo inter cauſam efficientem cogitationis & ejus objectum. Cauſam efficientem puto eandem, objectum autem diverſum. Nam primum objectum eſt vulpanſer, alterum vero cogitaſſe vulpanſerem.

§. 2. Qvæ objecti diſcrepantia Carteſio nullam parit moleſtiam. Cum hic de ſolo cogitandi actu ſit ſollicitus, atqve ex ejus exiſtentiâ ſuam evincere exiſtentiam conetur. Rem ſimili illuminare juvabit: Sicuti faber ferrarius juſſus demonſtrare potentiam dirigendi mallei, eam probat incudem feriens, ſive ferrum ſit interpoſitum ſecusve: Ita & mens vim cogitandi exerere valet.

Ad eundem §. **Qv. XIV. An una eademqve res poſſit in ſeipſam agere?**

§. 1. Latiùs affirmativam deduxere Tolet. & Ariſt. ſuperius allegato

gatô locô, qvos vide. Ceterùm effectus omnino in ſuam agit cauſam, qvæ communiter audit reactio. Sic v. g. Uti manu dextrâ attingens ſiniſtram in hac percipio preſſuram ſeu actionem agentis; in illa vero reactionem patientis: Ita etiam mens objectum ſuum conſiderans rurſus qvidpiam patitur. Ex qva ſcaturigine proſilit differentia inter intellectum agentem & patientem. Nec ulla hic eſt metuenda memoriæ fallacia. Cum non reqviratur veritas exqviſita objecti cogitandi vel cogitati; ſed ſolus cogitationis actus hic utramqve facit paginam. Hinc ſuapte corruit §. 9. D. Huetii.

Qv. XIV. An, cum qvis cogitat de re aliqvâ, ſit eadem idea rei hujus, de qva cogitat: ac idea ipſius cogitationis? Ad §. 10.

§. 1. Qvæſtio penitus negatur. Nam ſi cogito bis tria eſſe ſex, & poſtmodum hanc cogitationem eſſe opus mentis meæ de bis tribus rebus, v. g. columbis ope oculorum viſis, ſuſceptum, omnino duplex occurrit conceptus vel idea. Et ex hujus qvæſtionis negatione nihil etiam adverſus Carteſium extorqvetur. Cum ex ſolo cogitationis actu concludit præſentiam & exiſtentiam mentis, vera ne an verò falſa cogitet, in medio relinqvens.

Q. XV. An falſum ſit iſtud, Ego cogito, E. ſum, nobis cognitum eſſe per ſimplicem viſionem, non per ratiocinationem? Ad §. 11.

§. 1. Si per ſimplicem viſionem autor vult perceptionem ſolius intellectus abſqve Syllogiſmo ſeu deductione ex majori Propoſitione univerſali, prout Cartef. ſub finem *Meditat. II.* hoc inculcat; Per ratiocinationem autem argumentationem talem Syllogiſticam intelligit, affirmatur qvæſtio.

§. 2. Cujus affirmationis ratio apparet ex ipſiſſimo Syllogizandi modo. Nam per Syllogiſmum demonſtraturus Carteſium eſſe, qvòd cogitet, format Majorem Propoſitionem: *Qvicunqve cogitat, ille eſt.* Hujus probationem ſi poſtulavero, nonne tenetur affirmans hanc Majorem ceu univerſalem roborare per inductionem ſingularium *Socrates cogitat, & eſt, Carteſius cogitat & eſt, Huetius cogitat & eſt?*

vid. *I. Lib. Phyſ. Ariſt.* Ulterius nonne ſic ſingulæ hæ ſingulares præreqvirunt ſuam veritatem non aliunde, qvàm ex ſimplici perceptione, habendam?

§. 3. Dicis, Majoris probationem maximè poſſe aliunde deſumi. Scilicet ex principio univerſali: *Cuicung; competit affectio poſitiva v.g.* actio tanqvam effectus, qvæ in mente eſt cogitatio, *illud eſt ens & exiſtit. Atqvi Carteſio competit affectio poſitiva, cogitatio. E. Carteſius exiſtit.* Aſt nonne Major opus habet, ut univerſalis, collectione ſingularium, & nonne Minor eſt probanda ex ſimpliciſſimâ perceptione? Id ipſum jam olim agnovit Ariſtoteles contradiſtingvens neceſſitatem conſeqventis, qvæ exiſtit in propoſitionum primò verarum copulatione ante ingreſſum in Syllogiſmum, neceſſitati conſeqventiæ vel Syllogiſticæ.

§. 4. Præterea uti ambabus largior manibus D. Huetio, argumentationem vel ratiocinationem eſſe actionem mentis humanæ, per qvam ex principiis cognitis educitur concluſio rem notam faciens; ita pernego principia illa prima, de qvibus tamen controvertitur, cognoſci per ratiocinationem.

§. 5. Qvin imo Logicus ſibi ſoli relictus ne qvidem ullam inveniet veritatem absqve adminiculo alius diſciplinæ, qva occaſione forſitan pronatum eſt proverbium: *purus putus Log. &c.*

Ad §. 12.

Qv. XVI. An ex hoc dubitandi argumento, qvod â Carteſio propoſitum eſt, neſcire nos annon ita comparati ſimus â DEO, vel a malo aliqvo Genio, ut ſemper fallamur, refellatur iſtud Ego cogito, E. ſum?

§. 1. Negatur tota qvæſtio per reſponſionem ad qvæſt. 7. datam: Siqvidem omnis dubitatio vel deceptio, qvam de DEO vel malo qvoqve Genio blaſphemos concipere, retulit Carteſius, ſaltem eatenus conceditur, qvatenus iis innoteſcit per ſenſus corporis dubios â mente nondum verè directos. Qvare peſſimè rapitur ad lumen naturæ & perceptionem intellectus immediatam. vide P. Morneus *Cap. II. de V. R. C.*

Qv. XVII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [28] - 24
PUBLIC DOMAIN

Qv. XVII. An verum sit, DEum nos fallere non posse in iis rebus, qvas cognoscimus per simplicem visionem? Ad §. 13.

§. 1. Affirmatur qvæstio, non obstante dubitatione Cartesianâ. Nam hæc locum obtinet duntaxat in simplici visione corporeâ citra directionem mentis factâ. vid. *Resp. ad Q. II.* §. 3. 5. & 6.

Qv. XVIII. An Cartesius in exorsu Philosophiæ Academicos & Scepticos assectatus statim erret, ut eos deserit? Ad §. 14.

§. 1. Negatur tota qvæstio. Cùm Cartesius nunqvam admiserit Academicorum dubitationes. vid. §. *ult. Respons. ad Qv. I.*

Q. XIX. An fateatur Cartesius, nullam nos habere veritatis normam, nisi constet, nos ita â Deo non esse factos, ut semper fallamur? Ad §. 15.

§. 1. Affirmatur qvæstio ex §. *13. Part. I.* Ex qvo loco rursus male D. Autor argumentatur ad immediatam mentis perceptionem: Siqvidem hanc hic nullatenus vult inclusam; vid. §. *XI. Part. I.* Sed est in eo, ut viam doceat, cui insistentes dubitationibus ex perceptione corporeâ pronatis remederi valeamus.

CAPUT SECUNDUM.

Expenditur Cartesii sententia de Criterio.

Q. I. *An perversam criterii qværendi viam insistat Cartesius?* II. *An in qværendo Criterio parùm sibi constet Cartesius?* III. *An in eo assignando parùm sibi constet?* IV. *An Cartesius distingvat claram & distinctam perceptionem â lumine naturali, & â perspicuitate generaliter sumpta, & á notitia rei ex re ipsa hausta?* V. *An lumen naturale Cartesii sit certum criterium?* VI. *Qvid sit idea juxta Cartesium?* VII. *An*

VII. *An illud, qvod clarè & distinctè percipimus, verum sit ob hanc claram & distinctam perceptionem?* VIII. *An ex clara & distincta perceptione tanqvam criterio veritatis multa sequantur absurda?* IX. *An omnia, qvæ vera visa sunt Cartesio, clare & distinctè ab eo fuerint percepta?* X. *An vel perspicuitas, vel notitia rerum à rebus ipsis hausta sint certa criteria?* XI. *An præcepta veritatis cognoscendæ à Cartesio tradita lubrica sint & incerta?* XII. *An inanis sit, qvam ad percipiendum verum adhiberi volunt Cartesiani attentio?* XIII. *An Cartesius dubitans in exorsu Philosophiæ suæ, confidens fuerit in progressu?* XIV. *An Cartesii confidentiam Cartesiani superaverint?*

Ad §. 1. **Q. I. An perversam Criterii qværendi viam insistat Cartesius?**

§. 1. Negatur. Rursus malè dubitationem extendit ad omnes perceptiones tàm sensuales, qvàm immediatam mentis. vid. *§. penult. Respons. ad Qv. 1. Cap. I.*

Ad §. 2. **Q. II. An in qværendo criterio parùm sibi constet Cartesius?**

§. 1. Negatur. Nec probari potest Qvæstionis affirmatio à Domino Huetio per verba ultima §. 2. cap. 2. Qvia de clara & distincta perceptione à mente aut immediatè formatâ, aut per sensus externos qvidem factâ, correctâ tamen directâqve à mente nunqvam dubitavit. vid. *§. penult. Respons. ad Qvæst. 1.*

Ad §. 3. **Q. III. An in Criterio assignando parùm sibi constet?**

§. 1. Negatur. Contradicunt clarissimi Textus allegati.

Ad §. 4. **Qv. IV. An Cartesius distingvat claram & distinctam perceptionem à lumine naturali & à perspicuitate generaliter sumptâ, & à notitia rei ex re ipsa haustâ?**

§. 1. Ne-

§. 1. Negatur. Contrarium est demonstratum ex textibus allegatis.

Qv. V. An lumen naturale Cartesii sit certum criterium? Ad §. 5.

§. 1. Affirmatur. Sententia Autoris contraria promanat ex confusione perceptionum sensualium corporearum cum perceptione mentali. vid. *§. 8. Qv. II. Cap. I.* Pessimè etiam §. 5. *Cap. 2.* Dominus Huetius lumini naturali opponit artificiale. Nam Philosophi loqventes de lumine naturali hoc semper opponunt lumini gratiæ, non verò artificiali; qvippe qvod illi maximopere volunt inclusum. Res per se patet.

Qv. VI. Qvid sit idea juxta Cartesium? Ad §. 7.

§. 1. Vide Definitionem 2. *tractatus de Rationibus Dei Existentiam probantibus.* Verba ita se habent: *Ideæ nomine intelligo cujuslibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem ipsius ejusdem cogitationis conscius sum; adeo ut nihil possim verbis exprimere intelligendo id qvod dico, qvin ex hoc ipso certum sit in me esse ideam ejus, qvod verbis illis significatur. Atqve ita non solas imagines in phantasia depictas ideas voco: imò ipsas hîc nullô modô voco ideas, qvatenus sunt in phantasia corporea, hoc est in parte aliqva cerebri depictæ, sed tantum qvatenus mentem ipsam in illam cerebri partem conversam informant.* Hanc Definitionem qvia Dominus Autor in Cartesio non legit, qvid clarius, qvàm qvod autorem totum non evolutum censuerit?

Qv. VII. An illud, qvod clarè & distinctè percipimus, verum sit ob hanc claram & distinctam perceptionem? Ad §. 7.

§. 1. Affirmatur qvæstio §. 7. *cap. 2.* Nec inde metuendus statim est vitiosus circulus. Qvia singularis perceptio aliunde nec potest, nec debet probari, ne detur processus in infinitum. Sic v. g. qvis probabit, bis tria esse sex aliunde, qvàm per claram & distinctam perceptionem? Qvis probabit, Propos. Euclid. 47. lib. 1. aliunde, qvàm ultimato per singularem perceptionem? Qvis probabit sese esse

imò per definitionem

maſculum & non fœmellam aliundè, qvàm per immediatam perceptionem? Et qvia Carteſii claram & diſtinctam perceptionem *Ego cogito, E. ſum* infractam falsò ſibi perſvaſit Dominus Autor, floret Affirmativæ vigor.

Ad §. 9.

Qv. VIII. An ex clara & diſtincta perceptione tanqvam Criterio veritatis multa ſeqvantur abſurda?

§. 1. Affirmativam conatur Dominus Huetius tueri, (1) qvia qvædam ideæ uni homini appareant clariores & diſtinctiores aliis ideis, (2) qvia eædem ideæ duobus hominibus cognitæ alteri magis claræ & diſtinctæ videantur qvàm alteri, (3) qvia ſæpenumero falſæ etiam ideæ animadvertantur, qvæ nonnihil habeant perſpicuitatis & nitoris, & (4) qvia nihil adeò verum ſit, ut ab omnibus verum habeatur.

§. 2. Verumenimverò nego Qvæſtionem fretus hiſce ad ſingula puncta reſponſionibus, & ad (1) qvidem Concedo, ſæpius multas dari ideas clariores & diſtinctiores aliis: Sic v. g. teſte experientiâ, unicuilibet artifici ideæ vel objectorum vel inſtrumentorum vel operationum artis ſuæ apparent clariores & diſtinctiores aliis artis imperitis. Unde & pronatum eſt Dicterium atqve lex: *Artifici in ſua arte eſt credendum.* Porro in confeſſo eſt penes qvemcunqve, dari nonnullos hominum, qvi unô ſenſu externô magis qvàm aliô polleant, v. g. viſu, olfactu &c. Igitur qvid mirum, ſi qvis de hoc vel illo objecto clariorem formet ideam, accedente intellectu dirigente? Aſt qvid inde? Ergone ſeqvitur falſitas theſeos, qvæ clarè & diſtinctè percipio, ea ſunt vera? Tantùm profectò abeſt, ut hoc inferatur, ut potius è contrario ſeqvatur, qvò clariùs & diſtinctiùs aliqvid percipitur, eò etiam magis eſt pro vero agnoſcendum.

§. 3. Ad (2) facillima eſt reſponſio concedendo totam objectionem: Sic v. g. Ideæ rerum artificialium rurſus clariores & diſtinctiores ſeſe ſiſtunt artis perito qvàm imperito. Verùm qvid inde? Nonne rurſus ſeqvitur; qvia artifex clarius rem percipit & diſtinctius E. rem magis agnoſcit veram?

§. 4. Ad (3) notetur, qvod omnino multum perſpicuitatis & nitoris in falſis qvoqve ideis interdum animadvertatur. Aſt nulla eſt conſeqventia; In hac vel his ideis eſt multum veritatis, E. omnia qvo-

qve

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [32] - 28
PUBLIC DOMAIN

qve ita ſeſe habent & exiſtunt. Nam ad exiſtentiam illam reqviritur omnis veritas, ut nempe idea qvoad omnia ſit clara & diſtincta. Ex qvibus ipſis cernere licet, qvid ſit cenſendum de inſtantiis prolatis de ideis entium rationis, vulpanſeris nempe, ſideroxyli, montis aurei. Veræ qvidem & claræ ſunt ideæ iſtarum rerum ſeorſim viſarum; Aſt qvia deficit idea exiſtentiæ, percipiuntur ut ſola entia rationis, ſeu qvæ extra intellectum non exiſtunt.

§. 5. (4) Nihil adeò verum eſſe, ut ab omnibus verum habeatur, penitus nego. Et ut alia omnia ſileam, in hoc conſentiunt omnes ſanæ mentis compotes, ſe exiſtentes exiſtere verè. Unde & Ariſtot. eos, qvi huic exiſtentiæ contradicunt, reputavit non homines, vid. *cap. ultim. Libr. 2. Poſter. Anal.*

Qv. IX. An omnia, qvæ vera viſa ſunt Carteſio, clarè & diſtinctè ab eo fuerint percepta?

§. 1. Affirmatur qvæſtio. Nec obſtat, qvòd Carteſ. *in Phyſic.* v. g. §. 47. *Part.* 2. it. §. 219. *Part.* 4. uſus ſit ſuppoſitionbus falſis. Siqvidem eorum, qvæ nituntur falsâ hypotheſi, nunqvam gloriatus eſt exactiſſimâ veritate, vid. §. 204, 205, 206, & 207. *Part.* 4.

§. 2. Hôc locô & illud notandum, perperam ab Anti-Carteſianis nonnullis reciprocari hanc Theſin: *Omnia, qvæ clarè & diſtinctè percipimus, ſunt vera, & conſeqventer nos homines omnia clarè & diſtinctè percipimus.* Prius affirmamus cum Carteſio, poſterius verò negamus. Proſtant namqve Textus §. 24. *Ita ſi forte nobis Deus de ſe ipſo, vel aliis revelet, qvod naturales ingenii noſtri vires excedat, qvalia jam ſunt myſteria Incarnationis & Trinitatis, non recuſabimus illa credere, qvamvis non clarè intelligamus; nec ullô modô mirabimur, multa eſſe, tum in immensâ ejus naturâ, tum etiam in rebus ab eo creatis, qvæ captum noſtrum excedant.* Nec non *ultim. Part.* 1. *Præter cetera autem, memoriæ noſtræ pro ſumma regula eſt infigendum, ea qvæ nobis â Deo revelata ſunt, ut omnium certiſſima eſſe credenda; Et qvamvis forte lumen rationis, qvàm maximè clarum & evidens, aliud qvid nobis ſuggerere videretur: ſoli tamen authoritati divinæ potius, qvàm proprio noſtro judicio, fidem eſſe adhibendam: Sed in iis, de qvibus fides divina nihil nos docet, minimè decere hominem Philoſophum aliqvid pro vero aſſumere, qvod verum eſſe nunqvam perſpexit; & magis*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [33] - 29
PUBLIC DOMAIN

fidere ſenſibus. hoc eſt, inconſideratis infantiæ ſuæ judiciis, qvàm maturæ rationi. Qvippe in qvibus fatetur ſuam ignorantiam in divinis ratione eſſentiæ. Qvia exuberat ultra noſtram mentem finitam.

§. 3. Inſtas; ſeqvi interim ex Carteſii hypotheſibus veritatem non poſſe haberi niſi ex clara & diſtincta perceptione, hincqve hominem Chriſtianum relinqvi dubium in myſteriis credendis. Ad qvam inſtantiam replico; veritatem myſteriorum divinorum omnino nobis innoteſcere clarè & diſtinctè per auditum & lectionem verbi divini ratione exiſtentiæ, licèt poſtmodum myſteriorum ſanctorum qvidditatem non capiamus. Qvare in locum hujus perceptionis claræ ſuccedit fides.

§. 4. Tertium argumentum non meretur ulteriorem refutationem. Nam ſatis exploſum eſt in Reſponſ. ad qvæſtionem 7. & 16. Cap. 1.

§. 5. Qvartum argumentum annihilatur eâdem cum priori reſponſione.

§. 6. Qvintum argumentum diſſolvitur per reſponſionem ad cap. 2. qvæſt. 7.

Ad §. 14. ## Qv. X. An vel perſpicuitas, vel notitia rerum â rebus ipſis hauſta ſint certa criteria?

§. 1. Affirmatur qvæſtio. Objectiones refutentur ex Reſponſ. 7. & 16. Cap. 1.

Ad §. 15. ## Qv. XI. An præcepta veritatis cognoſcendæ â Carteſio tradita lubrica ſint & incerta?

§. 1. Negatur, ob rationes jamjam ad nauſeam allegatas. Imò ſi rectè ponimus calculum, poſteriore parte §. 15. Huetius hanc negationem magis roboravit qvàm debilitavit.

Ad §. 16. ## Qv. XII. An inanis ſit, qvam ad percipiendum verum adhiberi volunt Carteſiani, attentio?

§. 1. Negatur. Nam errorem in prima apprehenſione commiſſum nemo poſtmodum eſt correcturus. Sic v. g. ſi ſupponis aſinum volare; poſtmodum neceſſario teneris aſſerere, eum habere pennas.

Et

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [34] - 30
PUBLIC DOMAIN

Et qvia Heinr. Morus falsò sibi persvasit, Cartesium statuisse mundum verè infinitum, inanem sustinuit laborem in prolixa ejus refutatione.

Qv. XIII. An Cartesius dubitans in exordio Philosophiæ suæ confidens fuerit in progressu? Ad §. 17.

§. 1. Resolvitur qvæstio responsione ad Qvæst. 1. Cap. 1.

Qv. XIV. An Cartesii confidentiam Cartesiani superaverint? Ad §. 18.

§. 1. Cum Cartesianis mihi nullum est negotium. Vitia verò illorum Autori non possunt tribui. Aliàs errores hæreticorum sacræ Scripturæ interpretum ipsis qvoqve sacris literis essent imputandi.

CAPUT TERTIUM.

Expendit Cartesii sententiam de mente humana.

Q. I. *Qvæ sit Cartesii sententia de mente humana?* II. *An hanc sententiam Cartesii refellere possit doctrina Epicurea statuens animam humanam corpoream?* III. *An dogma Cartesii, mentem prius certius & clarius cognosci, qvam corpus, falsum sit?* IV. *An Cartesius asseruerit, totum hominem mente solâ constare; corpus verò ad ejusdem naturam minimè pertinere?* V. *An falsum sit, animam sentire, non corpus?* VI. *An aliqvid sit in intellectu, qvod non fuerit in sensu?* VII. *An in Conario vel glandula pineali præcipua sit sedes animæ?*

Qv. I. Qvæ sit Cartesii sententia de mente humana? Ad §. 3.

§. 1. Cartesius per mentem vult intellam animam nostram rationalem separatam ab animabus & vegetativâ & sensitativâ; qvippe qvas statuit materiales caloris potentias. vid. *Artic. primos de Passionibus Part. 1.* Qvæ Doctrina licèt non sit recepta in nostra Academia; attamen in Jenensi & aliis etiam Protestantium Universitatibus fovetur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [35] - 31
PUBLIC DOMAIN

vid. *Willis. de anima brutorum.* Accedit, qvòd hæc sit doctrina Arist. vid. Thom. *Præfat. 67. totam.* Ut proinde hæc sententia ita planè non sit respuenda. Mentis autem voce utitur præ animæ Termino, vid. *Epist. LXVII. Part. 1. pag. 188. & Defin. VI. Tr. de Ration. Dei existentiam probantibus p. m. 86.* Idqve ideò. Qvia mens attributa legitur apud Philosophos soli animæ humanæ rationali jam olim ante Arist. ab Hippocr. vid. *Aphor. 6. Sect. 2. Qvicunqve aliqva corporis parte dolentes plerumqve dolores non sentiunt, his mens ægrotat.* it. *Lib. de Cord. &c.* Animæ autem titulus passim tàm â priscis, qvàm recentibus, iisqve Theologis & Philosophis, tribuitur etiam brutorum principiis vitalibus.

§. 2. Hanc mentem ut definiat, dicit esse substantiam cogitantem. Qvo in negotio loco differentiæ utitur vel Differentiâ specificâ, vel Proprio qvarti modi; siqvidem τὸ cogitare semper, soli & omni competit menti. In qva doctrina ex Philosophis Christianis non facile deprehenderis contradicentem.

§. 3. Qværas, qvamobrem Cartesius in definienda anima secessum fecerit â dogmate communi Philosophorum animam per spiritum definientium? In promptu causa est: Spiritus dicitur esse immaterialis substantia. Enimverò hæc differentia consistit in nuda negatione. Nam τὸ immateriale significat idem, qvod non materiale. Jam verò qvalis, qvæso, est Definitio negativa? cùm bona Definitio juxta Aristot. exponat, qvid res sit. Salsè irridet tales Definitiones negativas Marcus Marci *in præfat. ad Philos. Vet. restitut. Siqvis*, inqviens, *ex me petat, qvid sit lapis Philosophorum; & ego respondeam, non esse lapidem molarem, neqve cotem, neqve marmor, neqve magnetem, neqve unum ex precios is; parum sane proficiet ex his ad sciendum qvid sit lapis Philosophorum?* Ulteriùs si animus esset definire lupum per canem non domesticum, qvis inde addiscet, utrum in sylvis degat, utrum sit rapax &c?

§. 4. Regeris, eô ipsô, dum removeo alias species coordinatas, unam exprimo, v. g. si qværenti, qvisnam Evangelistarum Evangelium ordiatur his verbis: *In principio erat verbum &c?* respondero, non Matthæus, neqve Lucas, neqve Marcus. Nonne reddor certior Johannis? Ast hæc non est Definitio; sed nuda qvædam denominatio. Qvæ locum invenit ibi, ubi omnes species coordinatæ

omni-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [36] - 32
PUBLIC DOMAIN

omnibus ſunt perſpectæ, ſic v. g. ſi mihi ex Hiſtoria animalium cognita eſt natura ferarum & domeſticarum beſtiarum, omnino lupum vocans canem non domeſticum, tacitè exprimo canem ferum. Speciebus vero coordinatis mihi non æqvè cognitis, per ſolam negationem alterius alterum minimè gentium expono. Id qvod ipſum ita ſeſe habet in τῷ ſubſtantia materiali & immateriali. Nam materialis eſt extenſa, habetqve partes extra partes, & eſt partibilis in partes. Immaterialis verò his deſtituitur proprietatibus.

§. 5. Itaqve Carteſius uſus eſt in Definitione animæ terminô poſitivô, & qvidem deſumpto â Proprio qvarti modi. Qvale proprium in Philoſophia Ariſtotelica ſemper occupat locum Differentiæ ſpecificæ, hâc ignoratâ. Qvo pacto proſtat apud eosdem Philoſophos Definitio animalis, *Animal eſt corpus vivum, ſentiens;* it. hominis, *homo eſt animal rationale.*

§. 6. Hanc Definitionem dicit cognitu eſſe facillimam. Qvia juxta ſuperius demonſtrata corpus noſtrum non niſi per ſenſus corporeos, deceptioni obnoxios, percipimus absqve cooperatione ſenſuum: Et hæc eſt unica, eaqve hactenus inconcuſſa ratio, qvamobrem mentem nobis priùs infallibiliter qvàm corpus innoteſcere docuerit Carteſius.

§. 7. Objicis de novo, mentem, qva talem, nunqvam poſſe ſe ipſam agnoſcere. Aliàs namqve ageret aliqvid in ſe ipſum, qvod eſſet abſurdum. Enimverò ideo Chriſtianus hic Philoſophus §. *11. & 12. Part. 1.* aſſeruit, progigni in nobis notitiam mentis ex ejus affectionibus. Ex qvibus primæ operationes ſunt cogitationes, qvarum numerô ſunt tot, qvot in nobis fovemus, concipimus aut formamus rerum ideas. Dum nimirum nunqvam res ut objectum cognoſcibile poteſt cogitari absqve mente. Hæc verò optimè absqve re externâ cogitat.

Q. II. An hanc ſententiam Carteſii refellere poſſit doctrina Epicurea ſtatuens animam humanam corpoream? Ad §. 4.

§. 1. Pro reſponſione notetur, ſententiam Carteſii non ita eſſe accommodandam Philoſophiæ Epicureæ, ut illa evadat huic conformis, ſed ut Epicurea per Carteſianam penitus reddatur elumbis. Itaqve

qve Carteſ. inſurgens contra Epicurum primâ fronte mox aggreditur hanc Theſin: *Anima hominis rationalis eſt materialis.* In hoc conflictu tenetur Epicurus producere Argumenta probantia. Qvalia ſunt (1) Animam ex lumine naturali nunqvam innoteſcere neqve ante, neqve poſt unionem corporis ſeorſim; ſed (2) qvotiescunqve per actiones ſuas ſeſe prodat, uti organis corporeis. (3) Impediri, tantùm non depravari qvoqve in actionibus, organicâ corporis ſtructurâ vitiatâ, ſecundùm freqvens teſtimonium delirantium. (4) Animam tempore unionis prorſus ceſſare â muniis ſuis, corporis ergaſtulo apprimè verò qvoad cerebrum læſo, v. g. in Aſphyxia, Ecſtaſi, Phrenitide &c. utpote in qvibus ſenſim peſſum ire & dein, vitiô corporeô remittente, ſenſim qvoqve atqve ſenſim redire advertuntur cogitationes. Ut proinde, ſi anima cognoſcatur ex operatione ſuâ, nempe cogitatione, non poſſit non cognoſci materialis.

§. 2. Hæc argumenta ſingula ex aſſe enervavit Carteſ. *Artic. 3. 4. & 5. de Paſſionibus*, æqve provocans ad experientiam ſtatuensqve, verum qvidem eſſe, animam tamdiu, qvamdiu corporis ergaſtulo eſt incluſa, neceſſario actiones ſuas exercere in corpore organico. Sed qvia eæ ipſæ actiones ſunt tales, qvales â nulla materiali cauſa produci poſſunt, jure meritoqve immaterialitas animæ concluditur.

§. 3. Omnes autem actiones cauſarum materialium ἀκριβῶς loqvendo non ſunt veræ actiones; ſed meræ paſſiones, qvæ eô ipsô, dum per eos novi producuntur effectus, nobis cauſarum agentium nomine veniunt. Sic v. g. aqva fluminis molendini rotas circumagens dicitur qvidem cauſa efficiens & agens: verùm nonne fluxus aqvarum præſupponit aliam cauſam moventem nempe aërem gravem incumbentem, hicqve demum Deum primum motorem? Ut proinde apud omnes Philoſophos inter Canonicam veritatem etiam ſit receptum Axioma Phyſicum: *Nihil movetur â ſe ipſo.* Ex qvo Principio etiam Carteſius optimè Divinam probat Providentiam, conſentientibus Apoſtoli verbis, *Act. XVII, 25. Deus dat omnibus vitam, hâlitum & omnia. In ipſo enim vivimus, movemur & ſumus v. 28.* Qvid? qvod hæ ipſæ actiones continuô conſortiô concatenatarum cauſarum Phyſicarum exemptæ ne qvidem per momentum continuari poſſint, atteſtantibus id ipſum corporibus antea motis, poſtmodum verò in antlias pneumaticas projectis.

§. 4. Hinc

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [38] - 36
PUBLIC DOMAIN

§. 4. Hinc permultas tales actiones materiales imitatur ars v. g. calorem gallinarum incubantium ovis per furnos Ægyptiacos atqve Danos; calorem humorum in corporibus animalibus fermentantium per humores contrarios juxta præcepta Chymica conjunctos & fermentantes; motum animalium per avtomata clam machinulis animantium v. g. murium corpora repræsentantibus indita atqve adaptata.

§. 5. Qvæ omnia multò aliter in actionibus mentis fieri experimur. Etenim qvid corpus organicum confert nostræ animæ in elicienda Propositione Universali ex singularibus perceptis? Qvid commertii est animæ cum corpore duorum vel trium conceptuum inter sese Proportionem instituenti? Talia profectò nemo unqvam accepta ferre poterit potentiis materialibus; qvippe cùm in his animæ actionibus planè nihil passivi, sed merus actus observetur.

§. 6. Unde & Aristoteles animam voluit definitam per ἐντελέχειαν. Qvin imò ipsæ nostræ cogitationes in Ecstasi observantur, omnibus rerum existentium ideis nos relinqventibus. Recordamur enim post Ecstasin actus cogitandi specierum cogitatarum nescii.

§. 7. Rursus nos petit Epicurus novô ariete urgens, verum qvidem esse, animam nostram cogitare talia: Ast corpore non existente, nec eam hæc cogitare posse. In qva instantia nego consequentiam. Nam adeo verum omnino est, qvàm qvod verissimum, animam nostram, qvamdiu corpori inest, non posse operari nisi in eo, sicut nec corpus spatio cuidam determinato destinatum alibi moveri valet. Sed inde non est colligendum, qvia anima nostra operatur in corpore, ergo operatur etiam per illud.

§. 8. Multò minus qvadrat huc exemplum â Domino Huetio allatum de loqvelâ. Nam loqvela est actio merè corporea nihil denuncians, qvàm corpoream causam. Sicuti verò actio corporea existit index causæ corporeæ; ita profectò vi contrariorum actio immaterialis nullam, nisi immaterialem, intimat causam. Ut proinde cuilibet suapte jam liqveat, hâc philosophandi Methodo demonstrari Epicureis, animas hominum non esse corporeas.

Qv. III. An dogma Cartesii, mentem prius certius & clarius cognosci, qvàm corpus, falsum sit? Ad §. 6.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [39] - 37
PUBLIC DOMAIN

materiales, qvalis est asserta anima nostra rationalis, nonne veritas asserti Cartesiani eluceſcit luce meridianâ clariùs?

§. 6. Excipis, formas materiales â corporibus multas distare parasangas per solam subtilitatem. Qvo sensu & â permultis Philosophis autumantur esse naturæ cœlestis. Verùm enim vero qvid inde? Esto formarum materia subtilissima, eô ipsô tamen, qvô materia asseritur, ipsi competit Definitio materiæ, nempe qvòd habeat partes extra partes, & sit divisibilis in partes. Qvapropter alias qvoqve non fovebit qvalitates, qvàm figuram, trinam dimensionem, divisibilitatem, mobilitatem &c. Qvæ omnia in causando nil conferunt, nisi per passionem. vid. Aristot. *Lib. IV. Cap. 13. Physic.* dicens: *Ergo & corporis tam magni qvàm parvi eadem est materia.*

§. 7. Hæc justiori mentis trutinâ perpendens non possum non mirari Philosophos, qvi volunt videri Philosophiæ Peripateticæ maximè gnari negantes bruta artificiosa avtomata propter actionum nobilitatem, sibiqve persvadentes, actiones adeò nobiles meliùs posse expediri â formis materialibus. Nam si formæ sunt materiales, qvis nos prohibebit, illam materiam cœlestem statuere motricem machinarum animalium artificiosissimarum. Cùm & avtomata artificialia qvàm plurima ad actiones suas adigat materia ista ætherea circumstans?

§. 8. Qvo loco interim non inficior, certam materiæ æthereæ partem transfiguratam esse specificè, & in primâ rerum creatione animantibus â Deo sapientissimo inditam ad corpus magis organicum movendum; hâc tamen conditione, ut particulæ hæ æthereæ in perenni motu conserventur ab irruente aëre externô perpetim fluidô.

§. 9. De novo urges, non videri rationi humanæ probabile, unam eademqve materiam cœlestem per nudam materialem transfigurationem posse excreſcere in tot differentes species, qvot per universam rerum naturam observantur. Qvæ exceptio mox diluitur, si curatiùs paulo meditamur multitudinem differentium figurarum exurgentium ex materiâ cœlesti suppositâ homogeneâ, ita tamen natâ, ut particulæ, manente eâdem qvantitate, transfigurentur in corpora regularia, in qvibus per naturam idem superstes est centrum gravitatis, & conseqventer idem impetus.

§. 10. Particulæ namqve æthereæ figurarum sphæricarum assumptæ transfigurari possunt in pyramides æqvilaterales, cubos, octoëdra, dode-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [40] - 38
PUBLIC DOMAIN

dodecaëdra & icosaëdra. Qvare absqve interventu particularum aliarum materialium variegatarum possunt dividi in schemata 5040. qvorum singula â sese discrepant. Qvantus, qvæso, demum numerus est proventurus, figuris irregularibus & materiâ mutatâ simul huc tractis? Perperam proinde Aristotelis interpretes refugiunt ad potentias, nescio qvas, cùm ex solâ figurâ innumerabilis hæc multitudo deduci possit. Qvæ multitudo qvoqve est vera materiæ potentia, ex qva Aristoteli formæ dicuntur educi.

Qv. VI. An aliqvid sit in intellectu, qvod non fuerit in sensu? Ad §. 9.

§. 1. Affirmatur qvæstio. Exemplo nobis mox est ipsa facultas cogitandi in mente, qvæ nunqvam erit otiosa etiam in destitutis omni sensu externo, cum hi nunqvam lege conscientiæ possint destitui. Sicuti enim faberferrarius omnes species cudendi exercere potest absqve ferro supposito; ita & mens semper cogitans cogitat absqve omni objecto externo. Ex qvo ipso exemplo liqvet, in cogitatione absqve accessu alicujus objecti externi adesse tria â Domino Huetio reqvisita, nimirum (1) facultatem cogitandi coincidentem cum potentia cudendi in fabro; (2) Ipsum actum cogitandi comparandum cum fabri actu cudendi; (3) Ipsam ideam suarum cogitationum, qvæ conferri meretur cum idea fabri sic vel sic malleum dirigentis.

§. 2. Mens autem nostra exerens cogitandi actum, ex hoc, tanqvam effectu, agnoscit autorem, qvi ei hanc cogitandi vim sit largitus, qvæ cogitatio de Deo, qvia non excitatur ab objecto externo, jure meritoqve evadit idea Dei mentibus nostris impressa.

§. 3. Qvæ idea convenit qvidem cum ideis adventitiis & in nobis pronatis qvadantenus qvoad claram & distinctam perceptionem; ratione verò existentiæ ab his maximopere secedit. Siqvidem hæ percipiuntur ab extra ope sensuum erroribus subjectorum; illa verò immediatè residet in mente, hincqve semper est expers ullius dubii vel erroris. vid. §. *XV. Part. I.*

§. 4. Hic dubium vexatissimum Cartesii scripta legentibus fit obviam: Utrùm nimirum docuerit, præter hanc ideam Dei axiomata qvoqve Geometrica, qvòd, *si æqvalibus æqvalia addas, qvæ inde exurgent, erunt æqvalia &c.* menti humanæ mox esse congenita, ut eo-

rum ideas per qvandam ſui operationem acqvirere opus non habeat, cùm ad ipſam cogitandi facultatem pertineat: An verò per objecta ope cerebri repræſentata in facultate mentis conſtruantur? Primæ ſententiæ favere videtur Text. *Epiſtol. CIV. Part. II.* ſic ſonans: *Nihilominus liber ille, de qvo loqveris, ſi qvidem verum eſt qvod audiviſti, tractat de rebus tam periculoſis, meâq; ſententiâ tam falſis, ut ſi luculentè conſcriptus eſſet, inq; manus meas veniret, ad extemporaneum forſan reſponſum teneri me exiſtimarem. Metaphyſicas tamen qvæſtiones in Phyſica mea attingam, præſertim verò hanc, veritates nempe Mathematicas, qvas æternas appellas, fuiſſe à Deo ſtabilitas, & ab illo pendere, non ſecus qvàm reliqvas creaturas. Revera de Deo loqvuntur tanqvam de Jove aut Saturno aliqvo, illumq; ſtygi & fato ſubjiciunt, qvi dicunt has veritates eſſe ab illo independentes. Ne verearis, qvæſo, profiteri ubiq; & aſſerere, has leges fuiſſe à Deo in natura poſitas, non ſecus qvàm Rex aliqvis leges in regno ſuo conſtituit. Earum autem nulla eſt, qvam ſigillatim animo comprehendere neqveamus, modo ut ad illam conſiderandam mentem adjungamus, ſuntq; omnes mentibus noſtris ingenitæ, ſicuti rex aliqvis leges ſuas omnium ſubditorum ſuorum cordi, ſi poſſet, inſcriberet.* cum Textu §. *XIII. Part. I. Princip. Philoſoph.* Aſt, Textibus his non obſtantibus, putandum eſt poſterius, nimirum qvòd hæc axiomata per naturam mentis humanæ facultati non mox congenita credita ſint Carteſio: Siqvidem §. *V. Part. I. Princ. Philoſ.* affirmavit in talibus demonſtrationibus nonnullos erraſſe, & opus qvoqve eſſe, ut prolixô exemplorum apparatu hæ demonſtrationes inculcenrur Geometriæ ſtudioſis, utut fateatur, facilè eas cognoſci, ſi clarè & diſtinctè priùs percipiantur, qvo in negotio rurſus gaudet teſtimoniô Ariſtot. *Libr. I. Poſt. Anal. cap. III.* Hinc utitur ſimili, qvod ſicuti rex ſubditis ſuis leges vult inſcriptas & ingenitas, non autem congenitas: Ita etiam hæc axiomata mentibus noſtris per prævia objecta externa ingenerentur. Qvare & mentem ad tales veritates conſiderandas poſtulat adjunctam.

§. 5. Unde nunc facillima eſt reſponſio ad objectam Alexandri factitiam ideam. Nam ſi facta eſt de objecto Alexandro, qvilibet fatebitur, eam non per naturam menti eſſe congenitam.

§. 6. Demum notetur, non ſine injuria furti accuſari Carteſium, qvòd ideas ſuas ſublegerit ex Philoſophia Platonica. Nam qvi Carteſii

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [42] - 40
PUBLIC DOMAIN

teſii ideas easdem reputat cum Platonis, vid. Voſſ. *de ſect. Philoſ. §. 11. p. 69.* Diogen. Laërt. *de vitis Philoſ. lib. 3. p. m. 232.* & Thomaſ. *Orat. XIII. p. 294. & ſeqv.* facit intelligendo, ut neutras intelligat. Solatio interim noſtro Philoſopho ſunt eadem fata, qvæ perpeſſæ ſunt ideæ operatrices Marci Marci; qvippe qvæ Philoſophis multis ſolo nomine conſultis videbantur Platonicæ. Has verò ſolidiores vindicare nulli dubitarunt. Uude & Kircherus Marcum Marci eſt affatus: *Mi Domine Marci, qvàm pauci intelligunt has ideas?*

Qv. VII. An in Conario vel glandulâ pineali præcipua ſit ſedes animæ? Ad §. 10.

§. 1. Negatur cum Domino Huetio. Qvoniam autem uſus glandularum tunc temporis ob experimenta Anatomica rariora non adeò fuit exploratus. Hoc in paſſu Carteſius aliqvid humani paſſus eſt, veniamqve apud benevolos meretur. vid. *Epiſtol. L. Part. II.* Idem eſto judicium de motu cordis & ſangvinis Carteſ.

CAPUT QVARTUM.

Expenditur Carteſii ſententia de Exiſtentia DEI.

I. *Qvæ ſit ſententia Carteſii de Dei exiſtentia?* II. *Qvæ ſit Carteſii opiuio de idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, qvæ in nobis eſt?* III. *An idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, qvæ in nobis eſt, ſit finita & imperfecta?* IV. *An finitum cognoſcatur ex infinito, an verò hoc ex illo?* V. *An idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, qvæ in nobis eſt, ſit clara & diſtincta?* VI. *An idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, qvæ in nobis eſt, aliunde proficiſci poſſit, qvàm à re infinita & ſummè perfectâ?* VII. *An realitas objectiva, qvæ eſt in idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, tota ſit à mente noſtra?* VIII. *An ex idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, qvæ in nobis eſt, neceſſario ſeqvatur, rem illam infinitam & ſummè perfectam extra mentem noſtram extare?*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [43] - 41
PUBLIC DOMAIN

extare? IX. *An per vitiosum ratiocinationis circulum existentiam Dei probet Cartesius?* X. *An expugnari possint argumenta, qvibus existentiam Dei demonstrare conatus est Cartesius, adeoq; ipso fatente ruat omnis ejus Philosophia & fenestra aperta sit erroribus?*

Ad §. 1.

Q. I. Qvæ sit sententia Cartesii de DEI existentia?

§. 1. Cartesius percipiens in se absqve ministerio sensuum suorum actum qvendam facultatis cogitandi, tanqvam effectum infallibilem, prætereaqve observans per sensus varia contingentia atqve dubia, insuper hominum interitum & ortum concludit, effectum illum necessarium & infallibilem nullatenus posse dependere vel à se ipso, cùm interitui & exortui sit obnoxius, vel etiam à re contingente atqve dubiâ. Cùm nunqvam qvicqvam extiterit per naturam in ullo effectu, qvin priùs præextiterit in causa juxta consensum omnium Philosophorum saniorum asserentium, effectus non posse esse absqve causâ. Qvamobrem firmissimè sibi persvadet, effectum illum infallibilem dependere necessariò à causa, qvæ mente sit prior, omnibus rebus imperfectis perfectior, dubiis verior, non omnipotentibus potentior, &c. Qvam causam indigitavit DEUM.

§. 2. Et hunc conceptum vel has cogitationes de causâ istâ vocat ideam Dei non ideo, qvòd omnem ejus perfectionem positivè repræsentet, sed qvòd omnis perfectio, qvæcunqve illa sit, ab ipsâ promanet. Breviter, vult omnium entium existentiam cum omnibus eorum attributis existentibus dependere ab istâ causâ necessariò existente ob realem effectuum existentiam. Qvæ conseqventia magis etiam vera & necessaria sit, qvàm hæc, in omni triangulo esse tres angulos, eosqve duobus rectis æqvales. Qvia hanc veritatem nanciscitur saltim eatenus, qvatenus sensus verè triangulum agnoverunt. v. §. *penult. Resp. ad qvæst. 2. cap. 1.*

§. 3. Utrùm hæc Cartesii doctrina Philosophica planè coincidat cum doctrina Pauli Rom. *cap. 1. v. 19. 20. & cap. 2, v. 14. 15.* Ubi locorum Apostolus demonstrare satagit, per naturam Deum sat luminis gentium cordibus inscripsisse ad cognoscendam ejus æternam potentiam

& di-

& divinitatem, & qvidem non duntaxat ex visibilibus creaturis ope sensuum perceptis, verùm & ex lege conscientiæ. Ex qvibus Theologi nostrates colligunt principium naturale habitualiter congenitum. vid. B. Scherz. *in Coll. Anti-Soc. Diss. III. p. m. 30.* ita loqventem: *Notitiam Dei naturalem insitam esse, probant Conscientiæ stimuli (Rom. 2. v. 15.) qvi non acqvisiti, sed connati sunt.* Confer. & B. Kromayerum *in Theol. Posit. Polem.* ita concludentem: *Qvorum cordibus inscripta est cognitio legis, illorum cordibus etiam inscripta est cognitio legislatoris. Ratio: Qvia lex legislatorem præsupponit; Atqvi Gentilium cordibus &c. pag. m. 89. Artic. II.* Hæc, inqvam, uniuscujusqve judicio sincero relinqvo. Ego firmiter rem credo.

Qv. II. Qvæ sit Cartesii opinio de idea rei infinitæ & summè perfectæ, qvæ in nobis est? Ad §. 2.

§. 1. Idea rei infinitæ & summè perfectæ in nobis non est ipsa nostra facultas cogitandi absqve cogitationis actu, vel nostra mens otiosa; sed est idea causæ, qvæ mentem nostram finitam tanqvam suum effectum produxit. Sistunt verò hæ ideæ vel hæ cogitationes menti nostræ non totam causam qvoad suam essentiam; qvippe qvæ exuberat ultra mentis finitæ captum, sed solam necessariam ejus existentiam, qvam tamen secundum omnem (ἀνθρωποπαθῶς loqvendo) extensionem amplexari mens finita neqvit. Unde & mens agnoscit ens infinitum, licèt ipsos terminos ejus, hincqve infinitionem exprimere nesciat. Ut hoc in passu exemplum de mari optimè huc qvadret.

Qv. III. An idea rei infinitæ & summè perfectæ, qvæ in nobis est, sit finita & imperfecta? Ad §. 3.

§. 1. Hic semper Dominus Huetius confundit ideam essentiæ cum idea existentiæ rei infinitæ. Ideam rei infinitæ ratione essentiæ esse in mente nostra finitam & imperfectam positivè, i. e. cogitationes nostras nunqvam positivè concipere totam Dei essentiam infinitam, hincqve positivè esse finitas ultro concedo. Ita tamen, ut ne credam, per ideam infiniti percipi solam ideam qvandam per negationem, sicuti per ideam tenebrarum imaginamur nobis negationem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [45] - 43
PUBLIC DOMAIN

luminis, ſed longè plus realitatis, qvàm in ulla ſubſtantia finita exiſtere poteſt.

§. 2. Ideam verò rei infinitæ & ſummè perfectæ ratione exiſtentiæ eſſe finitam & minus perfectam maximè nego. Igitur licèt infinitudinem Dei non comprehendam mente finitâ, attamen ejus exiſtentiam qvàm clariſſimè & diſtinctiſſimè ex effectu novi, perinde: Sicuti, licèt pecuniam divitis non numeravero, vel ob copiam numerare neqvivero, ejus tamen divitias certô certius æſtimo inde, qvòd largiſſimos ſemper faciat ſumptus, nemini qvicqvam debeat, â nullo aliqvid mutuò accipiat, nec divitiæ hæ laudatæ exhauriantur. Vide elegantiſſimum Textum Carteſ. *Epiſt. 104. Part. 2. pag. 341. Contrario autem magnitudinem Dei qvanqvam agnoſcimus, tamen comprehendere neqvimus; ſed hoc ipſum qvòd illam incomprehenſibilem judicamus, illam nobis magis commendat; qvemadmodum Regi tantò plus magis Majeſtatis accedit, qvantò minus familiariter â ſubditis ſuis cognoſcitur; modò tamen ne putent, ſe carere Rege, illumqve ſatis norint, ut id in dubium revocare neqveant.*

Ad §. 4. ## Qv. IV. An finitum cognoſcatur ex infinito, an verò hoc ex illo?

§. 1. Affirmatur utrumqve & qvidem prius, ſolâ exceptâ noſtrâ mente & ejus immediatâ operatione citra ſenſuum operam peractâ, prout clariſſimi Textus docent. Hæc methodus verò eſt ipſiſſima Ariſtotelica demonſtrativa, dum per agnitam cauſam demonſtratur effectus. Poſterius verò qvatenus cauſa cognoſcitur ex effectu. vid. *p. 158. Synopſ. analyſ. in poſt. Anal.* Neldelii & omnes Ariſtot.

§. 2. Cæterùm qvæ in toto §. 4. urget Dominus Huetius, mox deſtruuntur ex diſtinctione Reſponſ. præced. ſuggeſta.

Ad §. 5. ## Qv. V. An idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, qvæ in nobis eſt, ſit clara & diſtincta?

§. 1. Affirmativa eſt ad nauſeam demonſtrata. Et qvomodo qvæſò gentiles barbaræ futuræ ſunt ἀναπολόγητοι, niſi hæc idea eſt accipienda de exiſtentia & non eſſentia Dei, de qva poſteriori dicta loqvuntur allegata. Ad veſtram igitur fidem, Philoſophi Chriſtiani, provo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [46] - 44
PUBLIC DOMAIN

provoco, annon Dominus Huetius refutandô Carteſium ſeſe oppoſuerit ipſi Apoſtolo?

Qv. VI. An idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, qvæ in nobis eſt, aliunde proficiſci poſſit, qvàm â re infinita & ſummè perfecta? Ad §. 6.

§. 1. Negatur. Nec (1) ulla vis concludendi ineſt confuſæ noſtræ cognitioni, qvæ ineſt in nobis, Dei ideam κατὰ μετάβασιν, hoc eſt, per tranſitionem & ſimilitudinem informari & exprimi. Qvalis enim eſt conſeqventia: Ego ſum mortalis, corporeus, erroneus, vitioſus, E. cauſa, qvæ me produxit, eſt immortalis, incorporea, expers erroris & vitii? Nulla profectò. Nec ita â Deo ſumus creati.

§. 2. (2) Falſum etiam eſt, Deum cognoſci per ſolorum viſibilium exiſtentiam: Siqvidem & teſte Apoſtolô per legem inſcriptam menti (â qva ad legislatorem argumentatus eſt B. Kromayerus cit. loc. vid. Reſp. penult.) Dei agnoſcitur æterna potentia, & Divinitas. Qvocirca rurſus impegit Dominus Autor, & cum eo ejus admiratores in doctrinam Apoſtolicam.

Qv. VII. An realitas objectiva, qvæ eſt in idea rei infinitæ, & ſummè perfectæ tota ſit â mente noſtra? Ad §. 7.

§. 1. Negatur qvæſtio cum conſeqventiâ inſtantiæ de alio mundo deſumptæ. Nam ſuperiùs eſt demonſtratum, nunqvam argumentatum eſſe Carteſium ab idea entis in mentem duntaxat ab extra ſuſceptâ & inibi compoſitâ, ſed ab ea, cujus ens neceſſariò exiſtit. Hîc notentur & illi, qvi putant, Carteſium concludere ab idea ad ideatum, cùm potiùs idea formetur ab ideante vel Archetypo. vid. §. *XVIII. Part. I.*

Qv. VIII. An ex idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, qvæ in nobis eſt, neceſſariò ſeqvatur, rem illam infinitam & ſummè perfectam extra mentem noſtram extare? Ad §. 8.

§. 1. Affirmatur ex hactenus demonſtratis. Nec obſtat diſtinctio rerum, qvâ Dominus Huetius eas vult diviſas in res exiſtentes â

parte rei. Qvarum priori generi accenſet rem infinitam ex idea rei infinitæ cognitam. Nam ſi Dominus Huetius argumentatur: Qvæcunqve res non niſi â parte ſolius intellectûs innoteſcit, illa non exiſtit; Mox ad Majorem reſpondeo per inſtantiam: Atqvi intellectus nobis non innoteſcit niſi â parte ſolius intellectûs. E. intellectûs non exiſtit. Igitur omnino putandum eſt, res, qvæ ſolô qvidem intellectu per ſuos tamen effectus nobis innoteſcunt, revera & neceſſariò qvoqve exiſtere; qvæ verò in intellectu exiſtunt absqve effectu, vel aliâ affectione poſitivâ probatâ, ea eſſe mera entia rationis.

§. 2. Neqve etiam committitur circulus, ſi argumentor:

Cujuscunqve rei ideam clarè & diſtinctè percipio, illa exiſtit;

Atqvi ideam rei infinitæ in mente mea percipio,

E. res infinita exiſtit.

Minoremqve probo ex ſingulari perceptione effectus. Eodem enim modô concludere teneor de Triangulo:

Cujus figuræ idea apparet clarè & diſtinctè triangularis, ea eſt triangulum,

A. Figuræ a, b, c, idea apparet clarè & diſtinctè triangularis,

E. eſt Triangulum.

Hæc Minor aliunde probari non poteſt, niſi ex ſingulari perceptione, & inde adeò ſufficienter probatur, ut nemo hominum eam poſſit inficiari.

Ad §. 10. **Qv. IX. An per vitioſum ratiocinationis circulum exiſtentiam DEI probet Carteſius?**

§. 1. Negatur ob reſponſionem præcedentem.

Ad §. 11. **Qv. X. An expugnari poſſint argumenta, qvibus exiſtentiam DEI demonſtrare conatus eſt Carteſius, adeoqve, ipsô fatente, ruat omnis ejus Philoſophia, & feneſtra aperta ſit erroribus?**

§. 1. Negatur. Qvia contrarium eſt probatum, nunc ruit omnis objectionum Huetianarum fucata veritas, Doctrinaqve Carteſiana infractis nititur talis.

CAPUT

CAPUT QVINTUM.

Expenditur Carteſii ſententia de corpore & vacuo.

Q. I. *Qvæ ſit ſententia Carteſii de corpore & vacuo?* II. *An habere partes á partibus ſecretas & diviſas ſit prius, qvàm extenſio?* III. *An omne corpus ſit in corpore?* IV. *An corpus, cùm movetur, & è loco in locum transfertur, non mutet locum?* V. *An dicere corpus duritie, mollitudine, calore, frigore, levitate, pondere, aliisqve hujusmodi carere poſſe, extenſione carere non poſſe idem valeat, ac ſi dicas, ceram figurâ qvadratâ, globosâ, tereti, levi, angulatá carere poſſe, non tamen poſſe omni figura carere?* VI. *An Carteſius auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum doctrinâ ſuâ funditus labefactet ſtatuens, extenſionem revera non differre â corpore?* VII. *An Deus potuiſſet alium mundum creare?* VIII. *An ignoratio duplicis extenſionis, qvarum alia, qvæ corporum eſt, poſitiva eſt; alia, qvæ nihili eſt, poſitiva, in maximos errores Carteſium impegerit?* IX. *An & qvinam ſit jocularis error Carteſii de corporum duritie?* X. *An parùm candidè agat Carteſius, cùm mundum eſſe ait indefinitum?*

Qv. I. Qvæ ſit ſententia Carteſii de corpore & vacuo? Ad §. 1.

§. 1. Carteſius aſſeruit, materiæ eſſentiam conſtare in extenſo & qvanto, hincqve diviſibili. vid. §. 4. *Part. II.* Qvæ ſententia maximè congruit Ariſtoteli ſtatuenti omnem materiam qvantam, qvantitatem autem communi termino cohærentem, Ariſt. *Categ. de qvant. & Cap. XIII. lib. IV. Metaph.* hincqve in partes diviſibilem.

§. 2. Qvod autem reſpiciat reliqvas affectiones v. g. pondus, duritiem, colorem aut ſimilia, non præcisè pertinere eas ad eſſentiam materiæ, utut multoties ei & qvidem craſſiori inſint. vid. *Cap. VI. lib. IV. Phyſ. Ariſt.* ex qvo occaſionem hæc ita ſentiendi nactus eſt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [49] - 47
PUBLIC DOMAIN

§. 3. Horum præmiſſorum utrumqve conatur demonſtrare maximô etiam opere in ſubſtantia æthereo-aëreâ, vid. §. *20. 22. & 23. Part. II.* qvam ſententiam rurſus probat Ariſtot. *l. 4. c. 13. Phyſic. Ergo & corporis tàm magni qvàm parvi eadem eſt materia.* Et qvidem ſuſcepit hanc demonſtrationem non perperam, ſed ideo, qvia priſcis Philoſophis hæc ipſa attributa ſubſtantiæ hujus tenuiſſimæ minùs erant animadverſa, tantùm non negata. vid. Text. *52. lib. 4. cap. 8. Phyſ.* & maximè Paçius â Beriga *in Comment. ad hunc locum.*

§. 4. Qvæ affectiones tantùm operantur, ut nunqvam in ſubſtantia hac æthereo-aerea poſſit concipi vacuum aliqvod reale, qvin mox repletum erit materiâ aliâ ſimili circumſtante & irruente, veluti fieri animadvertimus in aqvâ, portione qvadam è medio vaſis ſubtractâ.

§. 5. E contrario aſſerit noſter Autor, affectiones ſenſuales duritiem, colorem &c. minùs in laudata ſubſtantia eſſe perceptibiles.

§. 6. His præſuppoſitis & ex natura facilè demonſtratis, ulteriùs probat, in rarefactione non contingere aliud qvicqvam, qvàm figuræ corporis, qvod rarefactum dicitur, mutationem; ita ſcilicet, ut rara corpora illa ſint, inter qvorum partes multa intervalla exiſtunt corporibus aliis repleta; & per hoc tantùm denſiora reddantur, qvod ipſorum partes ad invicem accedentes intervalla iſta imminuant, vel planè tollant. vid. *§. 6. Part. 2. Princ. Philoſ.*

§. 7. Qværas, qvid cenſuerit de Loco? Cùm ante eum jam fuerit controverſum, utrùm locus per ſuperficiem, an verò per intervallum vel ſpatium ſit definiendus: Diſtinxit prius inter locum internum & externum, dixitqve locum internum, qvi nimirum eſt inter ſubſtantiam aëream fluidam, eſſe ipſiſſimam corporis locati magnitudinem, hincqve ab ipſo corpore inſeparabilem; qvippe qvæ ratione extenſionis ſuæ ſecundum trinam dimenſionem qvaqvaverſum aërem ambientem propellit, eumqve in figuram ſui ſimilem transformat. Locum verò externum vocat illud, qvod deſignat hanc corporis ſituationem.

§. 8. Qvid ſpatium ejus extenſum ſit, exponit §. *10. Part. 2. Princ. Philoſ.* nempe: *Non etiam in re differunt ſpatium, ſive locus internus, & ſubſtantia corporea in eo contenta, ſed tantùm in modo, qvô à nobis concipi ſolent. Revera enim extenſio in longum, latum & profundum, qvæ*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [50] - 50
PUBLIC DOMAIN

qvæ ſpatium conſtituit, eadem planè eſt cum illa, qvæ conſtituit corpus. Sed in hoc differentia eſt, qvod ipſam in corpore ut ſingularem conſideremus, & putemus, ſemper mutari, qvoties mutatur corpus; in ſpatio verò unitatem tantùm genericam ipſi tribuamus, adeò ut mutatô corpore, qvod ſpatium implet, non tamen extenſio ſpatii mutari cenſeatur, ſed remanere una & eadem, qvamdiu manet ejusdem magnitudinis ac figuræ, ſervatq; eundem ſitum inter externa qvædam corpora, per qvæ illud ſpatium determinamus.

§. 9. Et per hoc ipſum ſpatium voluit intellectam materiam illam ſubtiliſſimam æthereo-aëream. Id qvod facilè colligimus ex §. *16. & 17.* nec non *22. 23.* it. §. *48. & ſeqq. Part. 2.* maximè verò *Epiſt. 96. Part. II.* in qva leguntur ſeqventia: *Omiſi antehac ad te ſcribere, qvid opiner eſſe id, qvod impedit vacuum inter partes materiæ ſubtilis, propterea qvod id explicare non poteram, niſi loqvendo de alia qvadam materia ſubtiliſſima, cujus in ſpeciminibus meis mentionem facere nolui, ut eam totam Mundo meo reſervarem; verùm tibi nimis debeo, qvàm ut qvicqvam te celatum eam. Dicam igitur me concipere, ſive potius demonſtrativè invenire, præter materiam, ex qva conſtant terreſtria corpora, duo alia materiæ genera, unam admodum ſubtilem, cujus partes rotundæ ſunt, aut ferè rotundæ, qvemadmodum arenulæ; atq; hæc non ſolùm terreſtrium corporum poros implet, ſed etiam cœlos omnes componit. Alteram hac multò ſubtiliorem, & cujus partes tam tenues ſunt, & tam citò moventur, ut figuram certam nullam habeant, ſed ſingulis momentis eam facilè aſſument, qvæ ad exigua intervalla ab aliis corporibus non occupata, implenda reqviritur.*

§. 10. Tandem totus eſt in eo, ut demonſtret, omnem materiæ hujus ſubtiliſſimæ alterationem dependere à ſolo motu, qvem unicum ſtatuit localem vid. §. *25. Part. 2.*

§. 11. In qva doctrina maximè digreditur ab ipſo Ariſt. aſſerente, motum in alteratione absqve motu locali peragi, qvam ſententiam Ariſtotelis nemo modernorum Phyſicorum experimentalium unqvam approbabit.

Qv. II. An habere partes à partibus ſecretas & diviſas ſit prius, qvàm extenſio? Ad §. 2.

§. 1. Negatur. Nam qvicqvid habet partes inter ſe diviſas, & à parti-

qve cenſendum de parallelepipedo alii impoſito, utut alterum alterum integro tangat plano. Qvid qvod parallelepipeda ſecundum mentem Carteſii in globulos transfigurata nunqvam formabunt nova parallelepipeda.

Qv. VIII. An ignoratio duplicis extenſionis, qvarum alia, qvæ corporum eſt, poſitiva eſt, alia, qvæ nihili eſt, negativa, in maximos errores Carteſium impegerit?

§. 1. Negatur. Imo Dominus Huetius glorians ſcientiâ extenſionis & affectionum nihili negativi, aliqvid humani paſſus eſt, ut cuilibet legenti mox apparebit. Nam ſi non entis affectiones creduntur veræ affectiones aliqvid probantes, metus eſt, ne non enti competant tot affectiones, qvot omnibus entibus totius univerſitatis mundanæ, vid. *Epitaph. Præadamitæ in Dialog. Danhaueri.* Hinc qvæſtio non meretur ulteriorem refutationem. Saltim notetur, qvod extenſio nihili negativi remanentis in vaſe, poſtqvam vinum â Deo in nihilum redactum, nullumqve aliud corpus in vini locum eſt admiſſum, contrarietur (1) omni doctrinæ Ariſtotelicæ de inani. vid. *Lib. IV. Phyſic.* (2) Ipſi naturæ, prout docet ſtupenda vis pulveris pyrii & æolipilarum &c. (3) Experientiæ. Nam nonne pueruli experiuntur, parietes mitræ ori admotæ poſt attractum aerem in os ad ſe invicem qvàm proximè accedere?

Ad §. 4.

Qv. IX. An & qvinam ſit jocularis error Carteſii de corporum duritie?

§. 1. Carteſius ſtatuit, duritiem non eſſe de eſſentia corporis. Qvia multa dantur corpora duritiei expertia v. g. aër &c. Hanc duritiem Dominus Huetius comparat cum impenetrabilitate per vocem ἀντιτυπίαν. Aſt Carteſium hîc nullam intellexiſſe impenetrabilitatem, ſed ſolam aliqvam preſſuram, docet occaſio allegata §. 2. *Reſp. Q. 1. Cap. V.* Præterea, ἀντιτυπίαν qvoqve opponi apud Græcos mollitiei, videre licet ex *comment. Galen. ad Aphor. LXVII. Sect. 5. Hippoc.* κυρίως μὲν ὃν ἀντίκειται τῷ χάυνῳ τὸ σκληρὸν καὶ ἀντίτυπον: *propriè igitur opponitur molli durum atqve retinens &c.* Tandem nullum reniſum,

niſum, exceptô eô, qvem fovent particulæ æthereæ intra ſe invicem, obſervari in aëre ſibi relicto absqve alio continente, teſtatur iterum experientia. Ex qvo rurſus liqvet, Dominum Huetium in qvæſtione duritiei minùs bene accommodaſſe doctrinam de impenetrabilitate aëri; qvippe qvi qvidem æqve eſt impenetrabilis ratione particularum ſuarum minimarum. Interim tamen dictô modô planè non retinens, utpote cùm & plumeolis cedat molliſſimis impulſis.

Qv. X. An parùm candidè agat Carteſius, cùm mundum eſſe ait indefinitum? Ad §. 5.

§. 1. Carteſius §. *XXI. Part. 2.* ſtatuit, *mundum vel univerſitatem ſubſtantiæ corporeæ nullos extenſionis ſuæ fines habere* (nobis cognitos vel ex natura cognoſcibiles.) *Ubicunqve enim fines illos eſſe fingamus, ſemper ultra ipſos aliqva ſpatia indefinite extenſa non modò imaginamur; ſed realia eſſe percipimus, ac proinde ſubſtantiam etiam corpoream indefinitè extenſam in iis contineri.*

§. 2. In hoc verò §. planè nihil voluit aliud, qvàm muudi terminos eſſe adeò extenſos, ut mens noſtra eos emetiri neqveat, nullatenus verò docuit, mundum hunc revera fine ſuô carere. Qvam ſuam mentem dilucidiſſimis verbis expoſuit §. *26. Part. I. Et qvia non poteſt fingi tantus ſtellarum numerus, qvin plures adhuc â Deo creari potuiſſe credamus, illarum numerum indefinitum ſupponemus. Atqve ita de reliqvis*, nec non §. 27. *Hæcqve indefinita dicemus potiùs qvàm infinita; dum ut nomen infiniti ſoli Deo reſervemus; qvia in eo ſolo, omni ex parte, non modò nullos limites agnoſcimus, ſed etiam poſitivè nullos eſſe intelligimus; tum etiam, qvia non eodem modô poſitivè intelligimus, alias res aliqva ex parte limitibus carere, ſed negativè tantùm, eorum limites, ſi qvos habeant, inveniri â nobis non poſſe, confitemur.*

§. 3. Qvòd vox infinita vel potiùs indefinita â Philoſophis accipiatur eodem ſenſu, qvô eâ uſus eſt Carteſ. apparet ex *Schol. p. 32. Clav. in lib. 1. Propoſ. 12. Euclid.* cujus verba ſunt ſeqventia: *Hac igitur de cauſa vult Euclides, rectam datam eſſe infinitam, hoc eſt, non habere magnitudinem determinatam, ut ſaltem ad ipſam productam perpendicularis poſſit deduci.* Et *Sturm. in Matheſ. enucleatâ.* Def. XXIII. Nec Scriptura Sacra abſtinet â tali infinito & innumerabili juxta *Cap. Geneſ. XIII. v. 16. Cap. XV. v. 5. Num. XXIII. v. 10. Jerem. XXX. v. 22.*

Of. I. v. 10. Ebr. XIV. v. 12. &c. Unde malè concludit Dominus Huetius contra Carteſium *§. 5. Cap. V.* ex infinitudine hac mathematica mundum verè infinitum. Miror rurſus, Dominum Huetium non eſſe recordatum hujus acceptionis notiſſimæ.

§. 4. De cœtero ad ultima hujus §. verba repet. reſponſ. ad Q. VII. hujus C.

CAPUT SEXTUM.

Ad §. 1.

Expenditur Carteſii ſententia de ortu mundi aſpectabilis.

Q. I. Qvæ ſit Carteſii ſententia de ortu trium elementorum, ex qvibus mundum hunc aſpectabilem conflatum eſſe docuit? II. An ex perpetua corpuſculorum concurſione & ramentorum decuſſu augeri indies neceſſe ſit primum elementum, minui, tandemqve deleri ſecundum?

Q. I. Qvæ ſit Carteſii ſententia de ortu trium elementorum, ex qvibus mundum hunc aſpectabilem conflatum eſſe docuit?

§. 1. Tutiſſimè ex ipſo hauriemus fonte hanc autoris mentem, cujus verba ſunt *§. 48. Part. III. Princip. Philoſoph. Itaqve, ut naturæ legum efficacitatem in propoſita hypotheſi oſtendere incipiamus, conſiderandum eſt, illas particulas, in qvas totam hujus mundi materiam initio diviſam fuiſſe ſupponimus, non potuiſſe qvidem initio eſſe ſphæricas, qvia plures globuli ſimul juncti, ſpatium continuum non replent; ſed cujuscunqve figuræ tunc fuerit, eas non potuiſſe ſucceſſu temporis non fieri rotundas, qvandoqvidem varios habuerunt motus circulares. Cùm enim in principio ſatis magna vi motæ fuerint, ut unæ ab aliis ſejungerentur, eadem illa vis perſeverans, haud dubiè ſatis magna etiam fuit ad earum omnes angulos, dum ſibi mutuo poſtea occurrerunt, atterendos: ad hoc enim non tanta, qvàm ad illud, reqvirebatur. Et ex hoc ſolo, qvod alicujus corporis anguli ſic atterantur, facilè intelligimus, illud tandem fieri rotundum: Qvia hoc in loco nomen anguli ad omne id, qvod*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [54] - 54
PUBLIC DOMAIN

qvod in tali corpore ultra figuram sphæricam prominet, est extendendum.

§. 49. *Cùm autem nullibi spatia omni corpore vacua esse possint, cùmqve illæ rotundæ materiæ particulæ, simul junctæ, præexigua qvædam intervalla circa se relinqvant, necesse est, ista intervalla qvibusdam aliis materiæ ramentis minutissimis, figuras ad ipsa implenda aptas habentibus, easqve pro ratione loci occupandi perpetuo mutantibus, impleri. Nempe dum earum materiæ particularum, qvæ fiunt rotundæ, anguli paulatim atteruntur, id qvod ex ipsis eraditur adeò est minutum, & tantam celeritatem acqvirit, ut solâ vi sui motus in ramenta innumerabilia dividatur, sicqve impleat omnes angulos, qvos aliæ materiæ particulæ subingredi non possunt.*

§. 50. *Notandum enim est, qvò minora sunt ista particularum aliarum ramenta, eò faciliùs moveri atqve in alia adhuc minutiora comminui posse: Qvia qvò minora, eo plus habent superficiei, pro ratione suæ molis: Et occurrunt aliis corporibus secundum superficiem; dividuntur verò secundum molem.*

§. 51. *Notandum etiam est, ipsa multo celerius agitari, qvàm alias materiæ particulas, â qvibus tamen suam agitationem acqvirunt: Qvia dum hæ per rectas, & patentes vias feruntur, expellunt ista per obliqvas & angustas. Eadem ratione, qvâ videmus ex folle, qvamvis lentè claudatur, aërem tamen valdè celeriter egredi, propter angustiam viæ, per qvam transit. Jamqve supra demonstratum est, aliqvam materiæ portionem celerrimè moveri, ac in partes reipsa indefinitas dividi debere, ut varii motus circulares & inæqvales sine rarefactione vel vacuo fieri possint, nec ulla alia præter hanc ad id apta reperitur.*

§. 52. *Jam itaqve duo habemus genera materiæ valdè diversa, qvæ duo prima elementa hujus mundi aspectabilis dici possunt. Primum est illius, qvæ tantam vim habet agitationis, ut aliis corporibus occurrendo, in minutias indefinitæ parvitatis dividatur, & figuras suas ad omnes angulorum ab iis relictorum angustias implendas accommodet. Alterum est ejus, qvæ divisa est in particulas sphæricas, valdè qvidem minutas, si cum iis corporibus, qvæ oculis cernere possumus comparentur; sed tamen certæ ac determinatæ qvantitatis & divisibiles in alias multo minores. Tertiumqve paulo post inveniemus, constans partibus vel magis crassis, vel figuras minùs ad motum aptas habentibus. Et ex his tribus omnia hujus*

mundi aſpectabilis corpora componi oſtendemus: Nempe ſolem & ſtellas fixas ex primo, cœlos ex ſecundo, & terram cum Planetis & Cometis ex tertio. Cùm enim ſol & fixæ lumen ex ſe emittant; cœli illud transmittant; terra, Planetæ, ac Cometæ remittant: triplicem hanc differentiam in aſpectum incurrentem non malè ad tria elementa referemus.

Ad §. 2.

Qv. II. An ex perpetua corpuſculorum concurſione & ramentorum decuſſu augeri indies neceſſe ſit primum elementum, minui tandemqve deleri ſecundum?

§. 1. In qvæſtionis hujus affirmativam totus confidit Dominus Huetius, eâqve Doctrinam Carteſii de ortu trium Elementorum eradicare conatur: Aſt ſi penitius Carteſii mentem erimus intuiti, Negativa ſuapte efflorescet. Proin Carteſ. §. *XLVIII. Part. III.* in eo eſt, ut ſupponat, totam hujus mundi aſpectabilis materiam initio diviſam fuiſſe in particulas talium figurarum, qvæ ſibi adaptatæ nullum relinqverent ſpatium vacuum, prout conſtat ex Textibus allegatis.

§. 2. Qvæ aptitudo nullatenus potuit offendi in ſphærica; licèt hæc poſtmodum motui fuerit commodiſſima. Igitur aliam præter ſphæricam figuram particulis iſtis attribuens aſſerit, in ulteriori mundi productione (qvam Theologi vocant creationem ſecundam) particulas iſtas eſſe transfiguratas in ſphærulas, angularibus eminentiis ſenſim attritis, atqve ulteriùs per continuatum motum imminutis, adeò, ut majuſculæ per interſtitia globuloſa deciderint in locum imum, minuſculæ verò interſtitia iſta inter globulos extantia repleverint, nec motui globulorum fuerint obſtaculo; qvæ verò abundaverint, ſint collectæ in vorticem ſolis & ſtellarum fixarum.

§. 3. Hiſce corpuſculis ſemel in creatione transfiguratis, motus globulorum perennat cum particulis interpoſitis. Qvæ qvia â nulla cauſa externa impelluntur in ſe invicem motu qvôdam vehementi; ſed ſemper inter ſeſe gaudent blandô reniſu, qvamdiu ſunt intimè contigua vel magis continua, optimè agitantur atqve commoventur absqve ulteriori imminutione. Perinde ſicuti obſervamus particulas aqveas ſibi invicem impoſitas permanere in jugi fluiditate absqve ulteriori imminutione vel alteratione, qvamdiu ſunt liberi â vi externâ.

Hâc

Hâc verò in frigore accedente, tota demum aqvarum facies transfiguratur. Imò manifeſtius adhuc exemplum nobis ſuggerunt lixivia bene filtrata; qvippe qvæ absqve ullo ulteriori attritu in æternum poſſunt commoveri. Hic iterum deprehendimus aſſentientem Ariſtot. *T. 48. Cap. VII. Lib. IV. Phyſic. Et fertur igitur unumqvodqve optimâ ratione ad ſuum locum. Qvod enim deinceps collocatum eſt, ac tangit non vi, illud eſt cognatum, & copulata qvidem in unam naturam ſunt impatibilia, cum autem ſe tangunt, viciſſim agere & pati poſſunt.*

§. 4. Tandem ulterior attritus per naturam penitus eſt impoſſibilis in his globulis ſibi relictis. Siqvidem globulos vicinos non poteſt attingere niſi in unicô punctô. Qvô attactu, cùm ſinguli globuli ſint in motu, nullus poteſt fortis attritus evenire, prout demonſtrat qvotidiana experientia.

§. 5. Ubi verò circa novum qvendam vorticem particulæ & globoſæ & ramoſæ vi qvâdam fortiori agitantur, ibi nullum eſt dubium, qvin tranſeant in alias adhuc figuras novorumqve corporum ſchemata repræſentent. vid. §. *85. Part. II.* Qvem tamen ulteriorem attritum contra intentionem Carteſii aſſeruit univerſalem Heinr. Morus *in Metaph. Enchiridio cap. 16.*

§. 6. Nec mihi veri ſit ſimile, particulas illas minutas fuiſſe cubicas. Nam hæ ſi fuiſſent, ramenta ſuffeciſſent ſoli expletioni interſtitiorum. Qvare potius arbitror, particulas fuiſſe parallelepipedeas ad minimum duobus Cubis conjunctis æqvales, qvæ procrearunt globulos tantos, qvantos procreare potuerunt cubi in parallelepipedis contenti: Ramenta qvoqve ($3\frac{1}{9}$ præterpropter plura ipſis globulis) hôc pactô remanſere ſat copioſa, eaqve diverſæ magnitudinis. Cùm eminentiæ angulares ſemper fuerint eminentiis axium majores. Id qvod maximè reqvirebatur in producendis duobus reliqvis elementis diverſæ magnitudinis, primo nimirum & tertio.

§. 7. Qvæ præterea Heinricus Morus loc. alleg. acerrimè diſputavit contra Carteſii mundum infinitum, facilè, & qvidem ſponte, pereunt ex Reſponſ. ad Qvæſt. ult. Cap. præcedentis. Qvare molliuntur & ictus, qvos Carteſio minitatur hôc malleô Dominus Huetius.

§. 8. Qvi rurſus §. ultimo hujus Cap. per priſma ſuum ſexangulum aliqvid humani eſt paſſus contra principia Mechanica. Nam

utut

utut lubentiſſimè largiar, priſma tale poſſe replere ſpatium qvoddam; qvatenus nimirum conſtat ex ſex priſmatibus trilateralibus, iisqve æqvilateralibus, qvorum baſes ſunt triangula æqvilatera. vid. *Theor. ex Propoſ. 16. lib. 4. Element. Tacqvet.* attamen nunqvam hæc priſmata ulteriùs poterunt reſolvi in alia ſexangularia, longè potiùs cedunt in jamjam deſcripta æqvilateralia infinita. Qvæ verò continent ſphærulas $4\frac{3}{4}$ & $\frac{1}{8}$ præterpropter, his priſmatibus ipſis minores. Ultro fateor, hanc figuram non ineptè hîc qvoqve poſſe ſupponi: Sed non eo modo, qvem ſibi concepit Dominus Huetius.

§. 9. Hæc ſi qvis altioris mentis lance trutinaverit, mox agnoſcet objectionis hujus Huetianæ imbecillitatem.

§. 10. Et hæc ſunt præſuppoſita Carteſii, qvæ aſſumpſit fideiChriſtianæ contraria eatenus, qvatenus in verbo Dei qvidē non ita recitantur, attamen planè nihil contrarii S. S. inferunt, dum omnia ordine â Deo producta eſſe aſſerunt. Qvæ ipſa omnino piam in ſeſe continent meditationē, qvâ ſumma Creatoris ſapientia atqve potentia eximiè illuſtratur. Cùm enim hôc modô clariſſimè demonſtretur, magnam illam molem, vel minimam etiam ejus particulam, â nulla re creata moveri potuiſſe, ſummus profectò & infinitus tantæ molis motor agnoſcendus eſt. En igitur ſic ex viſibilibus Dei factis infinitam ipſius & inviſibilem clarè conſpectam potentiam. Qvidni ergo admitti poterit pia hæc meditatio atqve hypotheſis, qvâ magis divina potentia celebratur, qvàm qvòd verbo Dei ſit contraria? Et qvemadmodum Autor libri de Colloqvio Chriſti cùm diſcipulis in itinere Emauntico â nullo culpatur, qvod plura Chriſti & Diſcipulorum verba præter S. S. autoritatem in illo libello referantur, qvoniam non ſunt contra S. S. Sic etiam hæc Carteſii meditatio admittenda erit vel ſaltem ex hypotheſi: Siqvidem hâc ipſa nihil fidei orthodoxæ contrarium aut impium ſtatuitur, ſed aſſeritur aliqvid ibi, ubi S. S. tacet, hac nihilominus ſic meditandi anſam ſuggerente. vid. verba ultima §. ſeqv.

§. 11. Tandem neqvaqvam blaſphemiæ eſt inſimulandus Carteſ. eò, qvòd meditationes hæ de opere creationis redoleant viles tornatorum vel aliorum artificum operationes mechanicas: Siqvidem & Θεόπνευς Propheta Jeſaias Cap. LXIV, v. 8. divinam Majeſtatem alloqvi non eſt veritus his verbis: *Et nunc Domine Pater noſter es tu, nos verò lutum, & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.*

Qvæ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [58] - 58
PUBLIC DOMAIN

Qvæ accommodavit B. noſter Lutherus ad figulum inqviens: Aber nun HErr du biſt unſer Vater/ wir ſind Thon/ du biſt unſer Töpffer. vid. *Cap. IX. ad Rom. v. 20.* & *Eſaiæ Cap. XXIX, 15. 16. Cap. XLV, v. 9. Jerem. XVIII, 1. -- 6. Sirac. XXXIII, 13.*

§. 12. Ex qvibus id diſcimus, non alia in Phyſicis agnoſcenda eſſe Principia, qvàm Mechanica; eumqve, qvi Chymiæ & his ſcientiis non eſt inſtructus, de rebus Phyſicis, ut cœcum de coloribus temere judicare. Moneo verò id rurſus ad imitationem Ariſtot. *Libr. I. Cap. VIII. Text. 63. Phyſ. Fiunt autem qvæ ſimpliciter fiunt, partim figuræ mutatione; ut ſtatua ex ære: qvædam adjectione, ut ea qvæ augentur: nonnulla ablatione, ut ex lapide Mercurius: alia ex compoſitione, ut domus: alia variatione, ut qvorum materia mutatur. Qvæcunqve autem ſic fiunt, conſtat ex ſubjectis fieri.*

CAPUT SEPTIMUM.

Expenditur Carteſii ſententia de cauſa gravitatis Corporum terreſtrium.

Qv. Qvæ ſit Carteſii ſententia de cauſa gravitatis? Ad §. 1.

§. 1. Rurſus audiamus ipſum noſtrum Philoſophum loqventem *§. 20. Part. IV. Vis gravitatis â tertia iſta globulorum cœleſtium actione non multùm differt. Ut enim illi globuli per ſolum ſuum motum, qvo ſine diſcrimine qvaqvaverſus feruntur, omnes cujusqve guttæ particulas verſus ejus centrum æqvaliter premunt, ſicqve ipſam guttam faciunt rotundam; ita per eundem motum, totius molis terræ occurſu impediti, ne ſecundum lineas rectas ferantur, omnes ejus partes verſus medium propellunt: Atqve in hoc gravitas corporum terreſtrium conſiſtit.*

§. 2. Jam qvod reſpicit objectionem Domini Huetii in §. 2. hujus capitis, mox cernere licet Lectori rerum naturalium perito, Autorem confundere cauſam gravitatis efficientem principalem cum cauſis minùs principalibus concurrentibus, gravitatemqve aut accelerantibus, aut retardantibus. Ad §. 2.

CAPUT OCTAVUM.

Expenditur generatim Carteſiana Philoſophia.

§. 1. Ultimum caput aggredi ſuperſedeo, qvippe qvod totum totum continet nudam repetitionem eorum, qvæ ſunt Carteſio jam-jam objecta & in Reſp. præcedentibus refutata.

§. 2. Nec animus eſt maledictis Domini Huetii reſpondere.

§. 3. Interim tamen Lectori Benevolo in memoriam revoco §. 200. *Part. IV. Princ. Phil.* in qvô ipſe fatetur, ſe nunqvam ſtuduiſſe novitatibus præter neceſſitatem. Textus autem ſic ſonat: *Sed velim etiam notari, me hîc univerſam rerum materialium naturam ita conatum eſſe explicare, ut nullô planè principiô ad hoc uſus ſim, qvod non ab Ariſtotele, omnibusqve aliis omnium ſeculorum Philoſophis fuerit admiſſum: adeò, ut hæc Philoſophia non ſit nova, ſed omnium maximè antiqva & vulgaris. Nempe figuras & motus & magnitudines corporum conſideravi, atqve ſecundum leges Mechanicæ certis & qvotidianis experimentis confirmatas, qvidnam ex iſtorum corporum mutuô concurſu ſeqvi debeat, examinavi. Qvis autem unqvam dubitavit, qvin corpora moveantur, variasqve habeant magnitudines & figuras, pro qvarum diverſitate ipſorum etiam motus varientur, atqve ex mutua colliſione, qvæ majuſcula ſunt, in multa minora dividantur, & figuras mutent? Hoc non unô tantùm ſenſu, ſed pluribus, viſu, tactu, auditu, deprehendimus; hoc etiam diſtinctè imaginamur & intelligimus: qvod de reliqvis, ut de coloribus, de ſonis, & cæteris, qvæ non ope plurium ſenſuum, ſed ſingulorum duntaxat percipiuntur, dici non poteſt: ſemper enim eorum imagines in cogitatione noſtra ſunt confuſæ, nec qvidnam illa ſint ſcimus.* Sic v. gr. ſolô viſu nemo dignoſcet figuram §. 3. Qv. II. Cap. 1. in arce Lichtenburgenſi ſeſe diverſimode repræſentantem, utut demum alio ſenſu, tactu nimirum dimetiendo figuræ diametros, ſuppetias ferente, ratio mox apprehendat faciem nativam.

§. 4. Similiter §. 202. *At Democritus etiam corpuſcula qvædam imaginabatur, varias figuras, magnitudines & motus habentia, ex qvorum coacervatione, mutuisqve concurſibus, omnia ſenſilia corpora exſurgerent; & tamen ejus philoſophandi ratio vulgo ab omnibus rejici ſolet. Verum nemo unqvam illam rejecit, propterea qvòd in eo conſideraren-*

rarentur qvædam corpora tam minuta, ut ſenſum effugerent, qvæ varias magnitudines, figuras & motus habere diverentur; qvia nemo poteſt dubitare, qvin multa revera talia ſint, ut modo oſtenſum eſt. Sed rejecta eſt, primo qvia illa corpuſcula indiviſibilia ſupponebat; qvo nomine etiam ego illam rejicio: deinde qvia vacuum circa ipſa eſſe fingebat; qvod ego nullum dari poſſe demonſtro: tertio qvia gravitatem iisdem tribuebat; qvam ego nullam in ullo corpore cum ſolum ſpectatur, ſed tantum qvatenus ab aliorum corporum ſitu & motu dependet, atqve ad alia refertur intelligo. Ac deniqve qvia non oſtendebat, qvo pacto res ſingulæ ex ſolo corpuſculorum concurſu orirentur, vel ſi de aliqvibus id oſtenderet, non omnes ejus rationes inter ſe cohærebant; ſaltem qvantum judicare licet ex iis, qvæ de ipſius opinionibus memoriæ prodita ſunt. An autem ea qvæ hactenus de Philoſophia ſcripſi, ſatis cohæreant, aliis judicandum relinqvo.

§. 5. Hi ipſi paragraphi luculenter ſatis innuunt, qvòd, utut Carteſius cum omnibus Philoſophis tam priſcis qvam recentioribus eodem uſus ſit genere principiorum cognoſcendi ac eſſendi, nihilominus multa lumini naturali magis convenientia & aperta in medium protulerit. Hincqve ejus Philoſophia non ſit judicanda conſarcinata ex aliorum Philoſophorum dogmatibus ſine juſtiſſima methodo. Nam priſcos multoties eandem intendiſſe metam, v. gr. Ariſtotelem ſtudentem DEO indagando per doctrinam motus corporum naturalium mobilium continuorum, ultro confiteor; ſic verò attigiſſe pernego.

§. 6. Nec penes eruditos in incertis verſatur, noſtro & ſuperiori ſeculo exſtitiſſe viros egregios, qvi hos rei Philoſophicæ defectus animadverterint anxiiqve fuerint in ſuggerendis conſiliis Scientiarum augendarum. vid. Fr. Baco de Verulamio, Joh. Baptiſta van Helmont, Illuſtriſſimus Robertus Boyle in Scriptis ſuis ingenioſiſſimis.

§. 7. Qvæ omnia ſi, Lector Benevole, ſincero animo perpenderis, deprehendes pro æqvanimitate Tua, qvòd rigidior virgula cenſoria à Domino Huetio ſit extenſa ſuper ſcripta Carteſiana, qvæ in plurimis minùs penetraſſe videtur.

§. 8. Facile qvoqve prævideo non defuturos, qvi me ex Capite tertio hujus defenſionis craſisſimorum accuſabunt errorum Logicorum.


rum. Sed hos volo rogatos, ut iniqvius judicium ſuſpendant, donec meas audiant reſponſiones. Impræſentiarum enim nolui vagari extra controverſias à Domino Huetio motas.

§. 9. Ultimò monendus etiam eſt Lector, me hæc omnia diſputaſſe κατ' ἄνθρωπον. Sunt enim qvædam, v. gr. de anima, de vacuo, qvæ aliqvantò aliter ſentio. Forſitan etiam propediem eruditis qvædam cogitanda erunt propoſita de elementorum transmutatione mutua ab amico, cui magis licet eſſe otioſo.

Errata extantiora ſic corrigantur.

Pag. 9. l. 8. lege perceptam. ibid. lin. 17. demonſtratu. p. 19. lin. 22. pro tribnens lege tribuens. p. 23. lin. 22. pro ſententria lege ſententia. p. 25. l. 14. lege Tractatus. p. 27. lin. 17. lege ſuppoſitionibus. p. 28. lin. 14. lege Reſponſ. p. 29. lin. 6. lege reſolvitur pro reſpolvitur. ibid. lin. 25. pone pro intellam intellectam. p. 33. lin. 12. commercii pro commertii. p. 34. lin. 4. lege perceptam. lin. 17. diffitebitur. p. 36. lin. 28. lege eandemqve pro eademqve. p. 39. lin. 8. lege unde. lin. 21. opinio. p. 42. lin. antep. lege gentes pro gentiles. p. 31. lin. 18. poſt obnoxios adde novimus; mentem verò. p. 55. lin 12. poſt Siqvidem appone globulus.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [62] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [63] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 856 495

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [64] - -

PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

IV 11, 605 e

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [65] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [66] - null

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 9, [67] - null

PUBLIC DOMAIN